

1. Rappolti / Frid. / Diss. de Filia-
tione Renatorum, ex 1. Hoh. III. v. 2.
Lipsiæ, 1676.
2. Reime / Henr. / Gottlieb. / Diss. qua
Achariam Judæe Regem, Alate
non majorem parente suo Joram
fistit. Jenæ, 1714.
3. Reuter / Chr. / Diss. Диказана Той
Номой in Christo et Christianis.
Serrista, 1716.
4. Richter / Dav. / Diss. confiderans
pyriognomiam Sacerdotis, ex Lev.
XXI. v. 16. Jenæ, 1715.

COMMUNIONEM //
BONORUM,

INPRIMIS
ÆTATE APOSTOLICA
HIEROSOLYMIS USURPATAM
ad Act. II. 44. 45. & IV. 32.
FAVENTE COMMUNI RERUM ARBITRO.
MODERANTE

V I R O
NOBILISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO
D O M I N O

GOTTLIEB SCHELGVIGIO,

Philosoph. Prof. Publ. Ordin.

& Reip. Patriæ Bibliothecario,

DN. FAUTORE, PRÆCEPTORE ac HOSPITE

haud intermorituro pietatis adfectu

colendo, suspiciendo,

IN ATHENÆI GEDANENSIS

AUDITORIO MAXIMO

d. XXII. Augusti, A. O. R. M DCC XV. Hora IX.

Communi placidoq; disquirentium Examine

submittit

A U T O R

NICOLAUS TORNER, Gedan.

Stipend. Ölhaf. Alumnus.

Succincta simul Oratione valedicturus.

an 10

GEDANI, Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.

DE O,
PATRONIS,
ac
PRÆCEPTORIBUS
HANC
DE COMMUNIONE BONORUM
DISPUTATIONEM
SACRAM
ac
COMMUNEM
esse
voluit,
debuisset
A U T O R.

Suscipe, *Communis Credentium* STATOR & AUTOR,
Quæ TIBI *Communi corde Fidej* dico.
Communem veramq; Fidem Communio sancta,
Communi Orbe licet sparsa, perennis habet.
Hæc Fide præsens TIBI dat *Communio*: quicquid
Communis Fidei SPIRITUS ipse dedit.
Suscipe, *Communi quæ dat Communis Alumnus*
Mente, PATRONORUM suspiciende CHORE!
Suscipe, *Communis Studiorum nostra POLITRIX,*
Quod Commune volo, deveneranda COHORS!
Ille ego, qui *VOBIS Communi sorte revinctus*
Communis VESTER Debitor arctus ero.

I. N. J.

DUm studiorum meorum ratio jam extra
 limen patrium proferenda, religioni ac pietati
 contrarium duxi citra speciminis cujusdam elab-
 orationem ac grati animi significationem ab-
 hinc discedere; etsi imbecillitatis ingenii mei
 non sim ignarus, quæ arduo huic negotio impar tenellos
 facile humeros subducere possit: pietatis tamen stimulo in-
 citata spes mihi facit non vulgarem, fore, ut leviusculæ istæ
 plagellæ PATRONORUM suffragiis non destituantur, in-
 primis cum præsentis thematis consideratio à contestatione
 obstrictæ mentis non abludat. Hactenus in COMMUNIONE
multorum Bonorum, quibus GYMNASIUM nostrum abundat,
 fui admissus. In commune conferuntur doctissimæ DOMI-
 NORUM PROFESSORUM lectiones; ex hac COMMU-
 NIONE per septennium, & quod excurrit, animus liberaliter
 vixit. COMMUNE prostat ÆRARIUM in alendos Musæ-
 rum alumnos, si necessitas urgeat, constitutum; neq; ab
 hac COMMUNIONE repulsam tuli. COMMUNES in ali-
 menta ingenuorum sumtus PATRONORUM liberalitas
 constituit; sed & illi fortunam meam satis tenuem subleva-
 runt. Ut de COMMUNI, quam apud munificos CIVES
 usus sum, mensa in præsens sileam. Quid est itaq; quod du-
 bitem, vires meas, etsi imbecillimas in excussione Thematis
 de COMMUNIONE BONORUM periclitari. TU verò,
 DEUS T. O. M., qui me etiam in Communionem Sancto-
 rum in his terris militantium, nec non in studiorum hæc loci
 florentium Communionem adduxisti, largire clementissi-
 me, ut omnes mei Conatus in TUI sanctissimi NOMINIS
 honorem ac COMMUNEM omnium utilitatem confe-
 rantur.

A

§. I.

§. I.

Non desunt
Communica-
tionem Bono-
rum prima-
vam defen-
dentes.

COMMUNIONEM BONORUM tempore Apostolorum Hierosolymis usurpatam delineaturus arbitror me non facturum ingratum, si *negotius* loco de *Communione* quam vocant, *primevâ*, pauca delibavero. Multorum hactenus ingenia disquisitionis hujus materiæ exercuit, Autoribus in diversas Sententias abeuntibus. HUGO GROTIUS a) sane & qui cum illo faciunt, non dubitant adferere, nullam rerum proprietatem à naturâ fuisse introductam, sed omnia fuisse communia relicta, quam quidem Communione proprio simpliciter opponunt, fingentes, omnia promiscuè omnium usui prostituisse. Deinde verò jure Gentium dominia distincta fuisse, idq; vel expressâ pactione per divisionem, vel tacitâ per occupationem; hinc ortam esse proprietatem rerum. SAM. PUFFENDORFIUS b) & cum illo *Celeberrimus* CHRIST. THOMASIIUS c) aliiq; distinguunt Communione in *positivam*, quæ non modo privatum dominium tollit, sed & commune singulorum ponit; & *negativam*, quæ privatum dominium quidem tollit, non verò commune singulorum ponit. Et quidem hanc non illam defendunt. *Clariss* JO. FRANC. BUDDIUS d) subdubitatur Dominium in sensu strictiori accipere, sed tantum asserit, facultatem, utendi rebus creatis ad sui conservationem primis humani generis parentibus fuisse concessam, quæ in sensu latiori *Dominium* dici posset.

§. II.

Communio
Bonorum
primevâ re-
ctius rejici-
tur & im-
probatur.

Verior nobis Sententia esse videtur; Dominium strictè sic dictum tam *commune*, quod nempe universis vel toti generi humano competit, ut v. gr. liberis competit dominium
a) de J. B. & P. Libr. II. c. 2. §. 2. n. 2. b) de J. N. & G. Libr. IV. §. 4. s. segg. c) Jurispr. Div. L. 2. c. 10. n. 41. segg. d) Theologia Moral. Instit. part. II. c. III. Sect. V. §. 14.

commune in bona paterna; quam *privatum*, quod huic, illi, mihi, tibi, exclusis aliis competit, ut e. gr. quilibet liberorum post divisionem hæreditatis habet, primis hominibus ex Divina assignatione competiisse. Probamus verò nostram assertionem; 1) Quia sine Dominio privato nulla Societas iniri ac conservari potest, quæ omnino fuisset turbata, si omnes res præda communis fuissent: cuilibet enim licuisset pro arbitrio capere res quascunq; , quæ non magis ad hunc, quam ad illum pertinuissent. 2) Quia Jus Naturæ simpliciter prohibuit appetentiam & ablationem rei alienæ: E. ab eo constitutum fuit dominium privatum. Hinc firmum ducit *ULRICUS OBRECHTIUS* c) argumentum: *ubi abstinentia alieni præcipitur; ibi dominium rerum & proprietates constituitur; furtum autem nullum est, ubi nihil proprii; alienum nihil est, ubi omnia communia. Alieno autem abstinere, inter prima natura præcepta est, ante quæ nihil inter homines fuit. Similem in modum argumentatur JO ADAM OSIANDER: f) Quomodo potest juberi, ut aliquis non furetur, si non supponatur rerum proprietates.* 3) Quia DEUS bona animi interna singulis concedidit, mihi mea, tibi tua, prout benignissimæ ejus voluntati visum fuit; quidni etiam externa singula concedidisset. 4) Quia dominium privatum adjunctum fuit imaginis divinæ, quod proximè & expressè cum illa conjungitur; g) Imago verò illa ex intentione divina singulis debebat competere; ergo & Dominium. h)

A 2

§. III.

- c) *Diff. de Communione, quæ in Opere Disput. Obrechtianar. comparet c. 3. p. 12.* f) *Observ. ad Grot. p. 655* g) *Gen. I. 27. 28. Conf. SEB. S. HMIDT de Imag. Divin. pag. 437* h) *Plura argumenta videbis in VAL. ALBERTI Compendio Juris Naturæ part. II. cap. VII. §. 14. 19. CASP. ZIEGLERO de Jure Majestatis Libr. I. c. 33. §. 5 seqq. & EXCELLENTISSIMI DNI. PRÆSI- D. S.*

§. III.

*Respondetur ad argumen-
ta dissentien-
tium.*

Nec juvat dissentientes objioisse : 1) *Nihil legi in Scri-
pturâ S. de assignatione ista.* R. Utiq; haberi assignationem
DEI protoplastis factam : Ita enim DEUS ad primos homi-
nes : i) *Crescite & multiplicamini & replete terram & subji-
tice eam & dominamini piscibus maris & volatilibus celi &
universis animantibus, quæ moventur super terram.* Cedro
digna sunt *CASP. ZIEGLER* hac de re verba : *Istud domi-
nium duobus hominibus ita in solidum concessit DEUS, ut s; præter eos fuisset adhuc alius, nihil quicquam de dominio isto
citra injuriam vindicare sibi potuisset.* k) Adamus expressè
filiis suis, Caino immobilia, agros scilicet ; Abeli, mobilia,
pecora scilicet campi, assignabat ; l) Noachus deinde filiis
suis assignabat insulas, *Semo* Asiam vicinâq; loca versus Ori-
entem Euphrati, *Chamo* Africam & loca Jordani ac Nilo vi-
cina versus meridiem ; *Japheto* Europam & Insulas ac Se-
ptentrionem ad Orientem usq; m) Quam divisionem te-
stamento firmatam Noachum moribundum, *Semo* exequen-
dam dedisse testatur *EPIPHANIUS*, n) *EUSEBIUS*, o) &
*PHILASTRIUS Brixien-
sis* p) qui hanc distributionem tam
certam esse censet, ut negationem ejus inter hæreses nume-
ret. II. *Homines per occupationem dominium sibi acquisivisse.*
R. Negando Assertum : Occupatio enim non erat causa do-
minii, sed dominium per assignationem tributum causa oc-
cupationis. Excipitur : 1) *dominio jam acquisito non opus fu-
isse occupatione ?* Resp. Opus omnino fuisse ad executionem
domi-

*DIS, FAUTORIS ac HOSPITIS NOSTRI, NUN-
QUAM NON OMNIA, QVA PAR EST, GRATE MEN-
TIS OBSERVATIONE DEVENERANDI, COLENDI*
*Dissert. ad illud Phocylidis : Utiq; fures sunt, & qui recipit, &
qui furatur c. l. §. 20. seqq. i) Gen. I. 28. 29. k) loc. cit. l) Gen.
IV. 2. m) Gen. IX. 26. 27. & X. 32. n) in Ancorato. c. 116. &
baref. 66. o) Chron. L. I. c. cui Tit. partitio terra. p) Hæresi VII.*

dominii. Quilibet equidem in Adamo jam acceperat dominium privatum, etiam antequam nasceretur; deinde vero jure suo, quod ad rem habebat, uti incipiebat, id quod sibi debebatur, occupando. Jus proprietatis jam concessum à DEO; possessionem vero, homines occupando adipiscebantur. Neq; quisquam de dominio suo orto per occupationem certus esse poterat, nisi privato quodam supposito dominio. 2) *illas terra partes, quæ nullum habebant possessorem, fuisse communes.* Resp. a) fuisse vacuas, ratione usus tantum & veluti ex causa derelicti. b) sufficere, illas, quæ in usum trahebantur, non fuisse communes, sed privato dominio subjectas. 3) *Homines assignationes non curasse, sed sua sibi vi eripuisse.* Resp. Contigisse hoc de facto, non de jure. Ubi adhuc justitiæ studebant, alia erat rerum facies; donec degenerarent. 4) *In statu integritatis homines benignissimos futuros fuisse; ideoq; omnes admissuros ad usum rerum suarum.* Resp. Distinguendo inter communionem & liberrimam communicationem. Quomodo etiam Poëtarum, quæ contra nos torquentur, dicta limitanda esse docet *Luc. Calius LACTANTIUS* q) *Ita nimirum accipi debere, non ut existimemus, nihil omnino eum fuisse privati, sed more Poëtico, figuratè. Ut intellegamus, tam liberales fuisse homines, ut natus sibi fruges non includerent, nec soli absconditis incubarent; sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent.*

§. IV.

Exploso itaq; Communionis primævæ figmento, inoffenso pede ad Communionem illam tempore Apostolorum Christianis usitatam proprius accedimus, cujus quidem mentio bis injicitur in *Actis Apostolorum*.

Descenditur ad præsens negotium, recitationis Scripturæ locis.

Alter Locus legitur cap. II. 44 45. πάντες δὲ οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ καὶ εἶχον ἅπαντα κοινὰ. καὶ τὰ κτήματα, καὶ τὰς ὑπέροχους ἐπιπρασσον, καὶ διμερίζον αὐτὰ πᾶσι κατὰ ἄνδρος ἕκαστου εἶχε.

A 3

Quæ

q) L. V. Div. Instit. c. 5.

Quæ Latinè sonant

ex versione *Erasmi SCHMIDII*

OMNES AUTEM, QUI — CREDEBANT, ERANT — IN —
EODEM — LOCO — CONJUNCTI, ET HABEBANT
OMNIA COMMUNIA, POSSESSIONESQUE AC FACUL-
TATES VENDEBANT, AC DISTRIBUEBANT EORUM —
PRETIA OMNIBUS, QUATENUS CUIQUE opus erat.

Et ex versione *Bened. ARIÆ Montani* interlineari:
*Omnes autem credentes erant in idem: & habebant omnia com-
munia. Et possessiones & facultates vendebant, & dividebant
illa omnibus, prout quis opus habebat.*

Alter autem Cap. IV. 32. τῷ δὲ πλήθει τῶν πνευματικῶν ἢ ἡ
καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία; καὶ εἰς τὴν τῶν ἰπταρχῶν αὐτῶν ἔλεγον
ἰδιον εἶναι, ἀλλ' ἢ αὐτοῖς ἅπαντα κοινά

& Latine legitur

Ex Versione *Schmidiana*

MULTITUDINIS AUTEM — EORUM — QUI CRE-
DIDERANT, ERAT COR UNUM, ET OMNIA UNA; NE-
QUE QUIS QUAM ALIUD EORUM — QUÆ HABEBAT,
DICEBAT SUUM ESSE, SED ERANT EIS OMNIA COM-
MUNIA

& ex *ARIÆ Montani* interlineari:

*At multitudinis credentium erat cor & anima una: & ne-
que unus quisquam existentium ei, dicebat proprium esse: sed
erant illis omnia communia.*

ac Instituti
ratio pandi-
tur.

Quæ *LUCÆ* verba cum per se sint facilia, ut diffusa qua-
dam ἐξήγησις indigere non videantur, nobis in hoc Schedi-
asmatum tantum est propositum: primò; indolem commu-
nionis memoratæ paucis adumbrare; tum ab usum adversa-
riorum, loca allegata ad hypothesein suam corroborandam de-
torquentium, lustrare, & ultimùm demonstrare, Communi-
onem Bonorum in Remp. Christianam non esse introdu-
cendam. DEUS faxit omnia feliciter.

S. V.

§. V.

Non opus ducimus varias vocabuli *Communione* significationes congerere, cum quem ista juvant, adire possit *BOETHIUM* r) *SENECAM* s) & imprimis Carol. du *FRESNE* t) ac Jo. *BOTSACCIUM* Theologum Gedanensem. u) Nobis sufficiat hac vice indicare, nos ex *OBRECHTI Disputatione de Communione*, jam superius citata, vocabulum illud accipere eo sensu, quo aliquid nemini soli, ut proprium adheret: Unde jam *Communio Bonorum* nihil erit aliud, quam *negatio vel cessatio proprietatis, qua bona nostra multorum vel omnium usui destinantur.*

Sistitur definitio Communione Bonorum.

§. VI.

Definita sic breviter *Bonorum Communione*, statim nobis dispiciendum erit: *quam fuerit illa communio, quam tempore Apostolorum primi coluerunt Christiani.* Quodsi itaque textum sollicitius examinemus, intellectu erit facile, communionem illam fuisse liberam & arbitrariam. Neque enim ulla necessitatis lege adstringebatur quispiam, ut possessiones ac facultates suas in commune conferret; sed hoc libero ejus arbitrio relinquebatur. Imo, si libere conferre vellent, non cogebatur conferre omnia. Ne sine argumentis dissensisse accusemur; sententia nostra 1) ex sermone Petri ad oculum patescit, ita Ananiam, qui cum uxore sua aliquid de pretio venditi prædii interverterat, alloquentis: *ὄυχι μόνον, σὶ ἐμεις, καὶ πρῶτον, ἐν τῇ σὴ ἐξουσία ὑπῆρχε:* ex *Versione Erasmi SCHMIDII*: *Nonne dum ante venditionem manebas, tibi manebas, & venditum in tua potestate erat x)* Ex quo colligimus, & ante venditionem Ananiæ integrum fuisse prædium retinere, & dum vendidisset etiam penes ipsum fuisse, ut pecuniam ex

Quæ a) Hierosolymis libera fuit, & quoad τὸ ἔλθῃ τὸ πῶς. Cujus sententia

Ratio 1.

r) in *predicam. Aristot. L. I. p. 116.* s) *L. VII. de Benef. c. XII.* t) in *Glossario. Vid. Lexicon HOFMANNI.* u) in *Moral. Gedanens. Vocce communitas.* x) *Act. V. 4.*

Ratio II.

venditione prædii acceptam sibi servaret. Neque enim ideo ab Apostolo fuit reprehensus, quod aliquid sibi retinisset, sed quod dixisset, se agrum duntaxat tanti vendidisse, quantum ad pedes Apostoli deposuerat: id quod erat apertum mendacium; 2) ex eo elucescit, quod fidelis panem (καὶ ὄκνον) per singulas domos fregerint y) Ad quem versiculum idem SCHMIDIUS observat, per καὶ ὄκνον hic non significari τὸν ἱερόν, templum, cum expresse in hoc versiculo domus & templum a se invicem distinguantur; sed simpliciter intelligendum esse, fideles domatim (Erasmus domesticatim von Haus zu Haus) panem fregisse. Neq; enim, (ut verbis magni nostri Philologi utar) cogitandum est, hac omnia, que hic κε-Φαλαιδῶς referuntur, uno aut paucis diebus gesta; ita etiam nemo cogitet, ter mille homines, (de quibus v. 14. dicitur ex quibus mille saltem domos possedisse fingamus) vel intra anni spatium, emptores invenire potuisse. Unde verisimile est, non paucos, sed bene multos, domos suas aliquousque retinuisse. Imo non verisimile est, sed expresse legimus Mariam, Marci Matrem, domum suam habuisse, uti clarè constat ex Act. XII. 12. ubi Petrus ab Angelo ex carcere educatus ad domum ejus venisse dicitur. Quando itaq; fideles omnia habuisse communia leguntur, venditis possessionibus & facultatibus suis, non ita accipiendum est, ac si omnium bonorum proprietate abdicata omnia in comüne contulerint, quo æqualibus viverent sumtibus; sed quod omnia habuerint communia quoad usum, manente tamen aliqua proprietate. Quo etiam inclinant verba *Illyrici*, „FLACII: 2) Neq; tamen, inquit, facta est extrema communitio aut publicatio ipsarum rerum, ut Anabaptistæ volunt; „sed tantum communicatio quoad usum, quantum fuit necessesse: sicut clarè in textu dicitur, prout unicuiq; erat opus. Adde *Osiandrum* ad Grot. a) 3.) ex eo probatur, quod legamus

Ratio III.
subjungitur.

y) Act. II. 46. z) in Glossa ordinaria ad Act. I. c. 2) L. II. c. II. ad Th. II, Obs. II, p. 656.

gamus neminem ea, quæ habebat, dixisse esse sua: ex quo sua sponte fluit, quod propria habuerint, licet illa putârint communia, neq; quenquam fidelium, si necessitas cogeret, ab illorum usu secluderent. Explicabit mentem nostram *Philip. à LIMBORCH b)* dum ita differit: *Duo hac phrasi (erant illis omnia communia) prædicantur; prius quod non contenti fuerint redditus superfluos conferre in usum pauperum; sed & ipsas possessiones vendiderint, ut, quod per solos redditus præstari non poterat, per possessionum pretium supplerent. Alterum: quod & usum eorum, quorum proprietatem sibi retinebant, pauperibus communem fecerint, juxta cujusq; indigentiam; eos hospitio excipiendo in adibus suis, alendo suo pane, reliquosq; tam familiariter excipiendo, ut nullius indigi sint, non aliter ac si bona ipsa sua communia fecissent. Cui quidem asserto consonant gravissima *Claud. SALMASII* verba c) *Toto, inquit, cælo deerrarunt, qui sibi per/vasere ex illis Testimoniis, veteres Christianos omnia revera bona inter se habuisse communia, quibus pro indiviso in medium collatis unusquisq; fruereetur. Ut equalitas dignitatum inter ipsos non in ipsis personis fuit, sed in animo, quo se major parem minori ferebat, & dominus servum non aliter tractabat, quam si frater esset; ita & communio bonorum apud eos non in re ipsa fuisse cognoscitur, sed in voluntate sola communicandi, quam & effectus sequebatur, si usus veniret. Neq; ab hac sententia recedit è Nostratibus *Daniel ARCULARIUS*: d) Possidebant igitur bona sua fideles ita, ut hæc aliorum non minus, quam propriis usibus servirent, pro eo ac necessitas postulabat, nec animum habebant ita addictum facultatibus, quin sicubi fratrem vidissent egentem, ei liberaliter impertirent. Adscripti ipsa Autorum verba, quod mentem meam apprime explicent, ac fatis**

B

clare

b) *Comment. ad Act. b. l.* c) *in Not. ad Laëtant. Instit. Div. L. V. de Justit. c. 15.* d) *in Act. LL. CC. VIII, p. 104.*

clare demonstrent, Communionem Bonorum Hierosolymis constitutam, nullam necessitatem fidelibus injunxisse, ut bona in commune conferrent, aut si conferre animus esset, omnia conferre illos oporteret. Id Q. E. D.

§. VII.

b) *paricula-
ris tum a)
ratione loco-
rum* Uti vero Communio illa Bonorum fuit libera; ita illam nec alibi locorum præter Urbem Hierosolymam in Ecclesia viguisse constat; quæcunq; etiam Adversarii in contrarium adferant, urgentes apud Corinthios, Romanos, Thessalonicenses ac Alexandrinos eandem introductam fuisse; quæ hypothefes quantum roboris habeant, paucis & facili negotio discutiemus. *Godofr. ARNOLDUS* ex illis est, qui Communionem hanc putant Corinthiis viguisse. e) Verba ejus transferre nimis prolixum foret, sufficiat in vim argumentorum inquisivisse. Quodsi itaq; loca Scripturæ **1. Cor. XV. 1. 2. coll. 2. Cor. IX. 7.** quæ pro sua sententia urget, evolvam, propria, quod ajunt, vineta cædit. Etenim *PAULLUS jubet collectus fieri pro Sanctis*, non ex communiõne; sed *ut unusquisq; fidelium apud se reponeret, quicquid per DEI benedictionem licuerit, ac id ipsum libere sibi in corde proponeret, non cum tristitia aut coactione. Hilarem enim datorem diligit DEUS.* Ex quo ipsius argumentum concidit: posita scilicet Bonorum Communiõne unum quemq; adhuc aliquid mittere potuisse: aliàs enim Paulus ex communiõne faciliõri negotio elemosynas expetere atq; accipere potuisset: nunc verò jubet, ut unusquisq; ex libera electione, prouti unicuiq; visum fuerit (hoc enim infert *περὸς ἑαυτὸν*) aliquid conferat. ANA-BAPTISTÆ statuunt partim ROMÆ partim THESSALONIÆ observatam fuisse. Pro adstruenda Communiõne Bonorum à Paulo Romæ introducta, urgent **Act. XXVIII. 3 1. Mansit**

*apud Roma-
nos*

c) Im ersten Christenthum L. III, c. 8, p. 406. β) S. 14.

autem Paulus biennium totum in proprio conducto, & excipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipsum. Sed subsequencia verba satis declarant, qualem Paulus Communionem instituerit; non Bonorum corporalium, de quibus nobis sermo est, sed spiritualium, *prædicationis* scilicet *Evangelii*, quâ omnes excipiebat, *prædicans Regnum DEI & docens, quæ credenda sunt de Domino J. C. cum omni dicendi libertate, nemine prohibente.* Quomodo enim Paulus potuit Communionem facultatum instituisse, cum fuerit pauperrimus, homo captivus, cui ex aliis Ecclesiis stipem conferre necesse fuerit, f) Ad stabi- *apud Theſſalonicenſes.* liendam Communionem Theſſalonicenſibus usurpatam, urgetur, Paulum ipsos fuisse adhortatos, *ut in tranquillitate laborantes, suum ipsorum panem ederent.* 2. Theſſ. II. 12. Ex quo elicere satagunt, eos in commune laborasse ac communi mensa usos fuisse. Enim verò quis non videt, quam infirmo hæc nitantur tibicine, ac quomodo consequentias ex arena nectant. Invertendum potiùs est argumentum: Dum enim proprium panem comedere quivis jubetur, à communi pane distinguitur proprius. Inprimis vero notandum, quod Apostolus loc. cit. quemq; admoneat, ne senescat in benefaciendo. Quî verò benefacere sibi invicem poterant, quî omnia in commune contulerunt? Communio enim Bonorum, (ut infra demonstratum dabimus) benefaciendi materiam erga se invicem excludit. *Cass. SANCTI IUS* Soc. Jesu Sodalitatis, g) bona Christianorum Alexandriæ communia fuisse probare annititur ex Hieronymo, *PHILONIS* Judæi, testimonium de Therapeutis adducente. At Hieronymum sibi ipsi contradictorium rectè observat *Güb. VOETIUS* h) cum alibi in vita nempe Pauli Thebæi, ingenuè fateatur, originem

B 2

Mo-

f) *Conf. Phil. IV. & Luc. OSIANDER Enchirid. Controv. cum Anabapt. c. VII. qu. 2. p. 182.* g) *in Act. b. l. §. 23. p. 117.* h) *Polit. Eccles. part. II, L. IV. Tr. IV. Sect. I. de Monachis in genere c. I. p. 947.*

Monachatus, ad hujus viri tempora duntaxat referendam esse. *Philonis Judæi* Therapeutæ, qui urgentur, non fuerunt Christiani, sed Judæi Pythagorizantes: de quibus infra §. 12. dicemus. Stat ergo inconcusso talo, id quod etiam Hippo- nensium Episcopus AUGUSTINUS i) concedit, Communionem Bonorum, qualis Hierosolymis viguit, alibi inter Christianos non fuisse cultam.

§. VIII.

*Notatur
Zwickerus.*

Cujus quidem asserti veritatem apud se sentiens Mora- vorum fratrum non postremus defensor *Dan. ZWICKERUS* Nostras, non diffitetur Communionem Bonorum alibi locorum non fuisse inter Christicolas usurpatum; sed causam risu, an bile digniorem? interferit, ideo sci- licet non obtinuisse, quod *Paulus non esset ausus Ecclesiis, quam passim fundabat, culmen hoc perfectionis imponere.* Hinc *Mart. RHARIUS* non sine causa eundem mirificè exagitat. k) Saniora sunt Magni nostri *CHEMNITII* verba ita scriben- tis: l) *Notabile est institutum illud, licet bona intentione, nec impia opinione susceptum, quia non habebat verbum DEI & mandatum, non usq. adeò feliciter cessisse. Illis enim, quæ in commune collata erant, cito absumtis, magna & periculosa ege- state pressa est Ecclesia Hierosolymitana, ita ut Paulo & aliis Apo- stolis valde multum exhiberetur negotii in colligendis eleemosynis in Ecclesiis aliis pro sustentatione pauperum Sanctorum Hierosoly- mis. ET HOC EXEMPLO ADMONITI, POSTEA NEC INSTITUERUNT, NEC CONSULIERUNT TALEM COM- MUNIONEM INTER GENTES, IMO NE IN JUDÆA QUIDEM.*

§. IX.

*Tum ratione
temporis.*

Neq; etiam dubitandum, Communionem Bonorum Hie- roso-ly-

i) *L. III. Doctr. Christ. c. 6.* k) *Epist. LXXII. p. 313.* l) *P. II, L. de Paupertate p. 157.*

rosolyimis florentem & *ratione temporis particularem* fuisse. Causa enim, propter quam Communio introducta videtur, ad certum tempus erat restricta. Profelyti Christiani satis erant edocti, brevi futurum, ut spes & species Reip. Judaicæ aboleretur ac everteretur. Hinc, ut verbis *Jo. Conr. DANNHAEI* m) loquar, *tanto minoris poterant facere agrorum & bonorum possessionem, quanto certiores fuerunt de venturis super Hierosolyimam calamitatibus & bonis in pradam hostium cessuris.* Cui subscribit aliquoties à nobis citatus *J. A. OSIANDER*: n) *Horum, inquit, status non fuit durabilis, quamvis enim hoc susceperint ideo, ut vendiderint omnia, quia instabat excidium urbis & in commune contulerint, non tamen hoc ipsum faciebat ad durationem & constantiam, unde egestas anticipavit apud plures, ut etiam elemosyna fuerint propterea Hierosolyimis colligenda.* Cui quidem asserto accedit *Phil. Jac. SPENERUS* o) ac *Heß. Godofr. MASILIUS* p) & ex Reformat. *Andr. RIVETUS.* q) Vid. etiam *Matth. POLIUM* r)

§. X.

Interim non diffitemur, eximium illum, quo se invicem *Causa illius fuerunt amoris mutui vehementia.* prosequabantur Christiani, amorem multum contulisse, ut bona sua sponte abdicarent, quo numerum fidelium indies accrescentem, qui ex tenuioris ut plurimum fortis hominibus colligebatur, sustentare possent. Quod argumentum doctè pro more excusit *Cl. Guil. CAVE* s) ubi simul infensissimorum nominis Christiani hostium, *Juliani* puta *Apostotata* ac *Luciani* testimonia, quæ de amore & liberalitate Christianorum

B 3

m) in *Decalog. Colleg. Disp. XVII. §. 2.* n) ad *Grot. L. II. c. 2. p. 655.* o) in *den Glaubens-Predigten Dom. V. p. Trinit.* p) in *der Selbst-Verläugnung c. V. vom Eigennuß.* q) *Explicat. Decal. Exod. XX. p. 1319.* r) *Synops. Crit. ad Aët. IV. 32 & ad cap. V. 4.* s) *im ersten Christenthum P. III. c. 2. p. 670. & Antiquitat. Apostolic. in vita Petri c. VII. §. 8. pag. 268. Add. à LIMBORGH in Aët. II. 44. 45.*

*Et persecu-
tiones.*

norum perhibuere, adfert. Neque etiam negamus persecu-
tiones mox ingravescentes multos impulisse, ut bona sua ad
pedes Apostolorum deponerent, quo eò tutius asseruari pos-
sent, ac communem Christianorum paupertatem subleva-
rent, ne pauperes ob penuriam, aut divites ex amore hujus
mundi à Christo resilirent, Conf. Jo. WIGANDUS, t) *Conr.*
SCHLUSSELBURGIUS u.) & Dan. ARCULARIUS. x) De de-
positione pecuniæ ad pedes Apostolorum vid. W ALLÆUM y)
qui simul explicat, quid propriè possessionum ac facultatum
nomine veniat.

§. XI.

*Quæritur :
quousq; hæc
B. C. Hiero-
solymitana
duraverit ?*

Cæterum quousque communio illa Bonorum Hieroso-
lymis duraverit, certum tempus determinare non possumus.
Probabile est, illam accrescente fidelium numero propter
ingravescentes erga se invicem querelas ac persecutiones ad-
versus ipsos à Judæis & Gentilibus motas fuisse intermissam:
& si conjecturæ locus relinquendus, *πρωτομαρτυριον* Stephani
terminum huic communioni posuisse videtur; tum quod de
hac vivendi ratione in N. T. nulla amplius mentio injicia-
tur; tum quod fideles omnes dispersi fuerint per regiones Ju-
dææ & Samariæ, præter Apostolos. z) Quomodo verò C. B:
diutius coli potuit: inprimis cum de elemosynis in sustentationem
sanctorum collectis passim legamus? a) Nec obstant
quæ ARNOLDUS b) ex Joh. Sichardo c) adfert, urgendo ean-
dem fere ad CC. annos durasse. Nam hæc ut & alia Patrum
testimonia de depositis pietatis capienda esse dudum docuit
TERTULLIANUS his verbis: d) *Etiam SI QVOD ARCÆ*

*Respondetur
ad Obj. Ar-
noldi.*

GENIUS

- 1) *Confus. Erroris Anabapt.* u) *Catal. Heretic. L. XII, pag. 670.*
ubi pleraq; ex Wigando desumpta videbis. x) *ad Aët. II. in LL.*
CC. VIII. p. 104. y) *Ad Aët. IV. 35. Conf. etiam SANCTIUM*
ad loc. alleg. p. 88. z) *Aët. VIII. 1.* a) *vid. Rom. XV. 25.*
seqq. 1. Cor. XVI. 2. Cor. IX. b) *loc. cit. L. III. c. 8.* c) *ar-*
gum, ad Epistol. Urbani pag. 67. d) *apolog. c. 39. p. 68.*

GENIUS EST, non de ordinaria summa quasi redempta religionis congregantur: modicam unusquisque stipem mensurâ die, vel quum velit & si modo velit & si modo possit, apponit, nam nemo compellitur, sed sponte conferit. Hæc quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humanisque & pueris ac puellis re ac parentibus desituris, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis & si qui in Insulis, vel in custodia, duntaxat ex causa DEI scilicet alumni confessionis suæ fiunt. Atque ita etiam subsequentiæ verba, quæ ex eodem e) in contrarium urgentur, sunt explicanda. Itaque quia animo animumque miseremur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscerta sunt apud nos, præter uxores. Scilicet primos Christianos non dubitasse, urgente necessitate in redemptionem fratrum captivorum omnia sua bona facere communia. Quod omnino charitati Christiani congruit. Verum exinde Bonorum Communio, qualis Hierosolymis viguit, primis duntaxat temporibus ad ducentos annos extendi aliqua veritatis specie nequit.

§. XII.

Atque ita indolem Communionis inter Christianos quondam cultæ rudi penicillo adumbravimus: jam ratio instituti postulat, ut videamus, quæ ratione nonnulli hanc Communionem in abusum trahant. Rob. BELLARMINUS, sedis Romanæ Cardinalis, & qui cum ipso eadem tibi infiant, Jo. LORINUS, Cass. SANCTIUS, Cornelius a LAPIDE, aliiq; f) quibus suppetias fert BAYLIUS g) Monachatum Pontificiorum defendentes parum absunt, quin ipsis Apostolis vitam coenobiticam Monachis nunc usurpatam adfingant, hoc innixi fundamento, quod omnia habuerint communia. Verum nimis cariosum ac lubricum est

Abusus notatur Pontificiorum Monachatum ex hac communicatione deducentium.

e) pag. 69, loc. cit. f) omnes & singuli Commentar. ad Act. Apostolorum. g) in Catechism. tr. 2, qu. 23.

est fundamentum. Quodsi enim ex eo Apostoli fuerunt Monachi, quia omnia habuerunt communia, sequeretur & Pythagoræos tales fuisse; quod argumentum urgent *Rudolph. HOSPINIANUS* h) & celeberr. Helmestadiens. Theologus *Jo. Andr. SCHMIDT.* i) Quamquam non sim ignarus, quosdam ex Pontificiis, inprimis Carmelitas eò processisse, ut Pythagoram ipsum in suum ordinem reciperent; quos acriter perstrinxit *Jo. Frid. MAYERUS.* k) At nervum hujus objectionis incidamus fortius: Qvis ferat a communione Apostolorum tempore usurpata ad communiorum Monachorum consequentias necti? Etenim toto, quod ajunt, cœlo distant. Adferamus potiores differentias. Fideles tùm temporis sponte ad sublevandam aliorum paupertatem citra ullam meriti opinionem bona sua, nec tamen omnia in commune contulerunt: Monachi ex necessitate voti, ad paupertatem subeundam & quidem opinione cultus ac meriti, imo supererogationis, bonis propriis se abdicant; at majores accipiunt. Etenim quis ignorat, quam pauperes sint ut plurimum sine defectu; quam egeni sine inopia, quam miseri sine miseriâ; adeo quidem, ut non inconcinne dixerit, quicumque dixerit ad Eliam *Hafenmüller* l) *si mendicare vellem, cum Jesuitis medicarem: Illi enim non obulum unum aut alterum, sed mille coronatos, plerumque una vice a Principibus assportant.* Plura videsis apud *B. Sam. SCHELGVIGIUM* *Præceptorum ac fauorem quondam meum etiam post cineres, quoad vivere mihi datum fuerit, nunquam non colendum suspiciendum.* m) Adde è nostris *Frid. BALDUINIUM* n) &

h) *L. III. de Origine Monachatus pag. 53.* i) *in Historia Callicolarum §. 14* k) *Dissert. Utrum Pythagoras fuerit Judeus, Monachusve Carmelita? §. 12.* l) *Hist. Ord. Jesuit. c. VI. de Votis Jesuit. pag. 89.* m) *in der Prüfung des Pabstthums 6. 26. pag. 466. & Manud. ad Aug. Confess. P. II, Art. VI.*

Tb. II.

qui observante MAYERO o) in supplementum Casuum Conscientiæ Balduini & Dunthen collegit magno labore aliorum Theologorum sententias, atque ad L. C. ordinem redegit, MISLERUM, p) & è Reformatis, Gùbertum & Anabaptistarum. VOETIUM, q) Anabaptistæ autem, inprimis Moravienfes, (quibus Communionem Bonorum propriam & sacram esse dicit ZWICKERUS) r) in nostro Aëtorum loco, non quod pueri in faba, se invenisse somniant, illico concludentes: E. Communionem Bonorum inter Christianos esse introducendam. Enim verò quam miserrimè isti homunciones hallucinentur, à re arbitraria ac indifferente, particulari ac ob singularem finem instituta ad rem omninò ad salutem necessariam ac universalem colligentes, jam nobis pluribus erit dispiciendum.

§. XIII.

Ut enim ordinem illum, quem nobis statuimus, ritè servemus, jam ad quæstionem illam ventilandam nos accingimus: Num. scil. *Communio Bonorum in Remp. Christianam sit introducenda?* In qua quidem pertractanda primùm agemus de variis Communionis hujus Patronis ac cultoribus; deinde Thesin orthodoxam probaturi sumus; denique argumentis adversariorum satisfacere conabimur.

*Proponitur
Quæstio: An
Communio
sit introdu-
cenda?*

§. XIV.

Quod singularis vir eruditionis Herm. WITSILLS s) de singulari vivendi ratione generatim scribit: *Ab omni ævo & in quavis propemodum gente, reperti fuerunt mortales, qui non contenti communibus virtutibus pietatisque officiis, singularem*

*Affirmativa
arrisit*

C
Tb. II, pag. 521. n) Casibus Consci. L. II. c. 11X. de Votis cas. 14. o) Bibl. Script. Theol. Moral. p. 21. p) Quæstion. Practico-Theolog. c. X. Sect. II. Membr. IV. quæst. 5. ad VII. præcept. Conf. etiam Andr. PRUCKNERUS Vind. Script. S. ad Act. IV. v. 32. q) Polit. Eccles. P. II. L. IV. Tr. IV. Sect. I. qv. 1. r) Epist. cit. ad Ruarum 70. p. 305. s) Miscellan. S. Exercit. IX. de Rechabit. S. 1.

a) quibusdam ex Gentilibus.

quandam vivendi rationem sectati sunt; qua non vulgo solum, sed & ceteris infucata honestatis cultoribus secernerentur; id speciatim dixeris de Communione Bonorum à diversis hominum generibus vel culta vel probata. Inter ipsos etiam Gentiles extitisse quosdam, quibus hujusmodi vivendi ratio non incongrua fuit visa, profana Historia loquitur. De Arabibus circumfertur, communionem omnium in omnia statuere; quod πρώτων ψεύδεται illos extimulat peregrinantibus sua bona eripere. Americanos communionem bonorum coluisse vult *GROTIUS* τ) cui respondet *OSIANDER* υ) & *OBRECHTUS* x) qui posterior Grotio opponit *LERIUM* in peregrinatione sua contrarium adferentem. Germanos olim agros indivisos possedisse testis est *Tacitus*: y) *Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignitatem partiuntur.* Ad quem locum conf. *Matth. BERNEGGERIUM* z) & *Joh. CLIVERIUM* nostratrem a) Pluribus vid. *Mich. PICCARTUM* b) & *Luc. HOLSTENIUM* c) qui inter alia hos adfert *Scymni Chii Veteris Geographi* versus, de Scythis Nomadibus qui ultra Panticapen habitant: d)

Ἐῶσι δὲ τὴν τε κλῆσιν ἀναδεειχόμετες
 κοινὴν αἰπάλων, τὴν τε ὅλην εἰσιάν,
 καὶ τὸν σφόδρὸν ἀνάχαρσιν ἐκ τῶν Νομαδικῶν
 φησι γενέσθαι τῶν σφόδρα εὐσεβειῶν

Vitam-

- τ) de *J. B. & Pacis* L. II. c. 11. de *Origin. Acquisit.* υ) *Observat. ad h. l.* x) *Disp. cit.* p. 13. y) in *German.* c. 26. z) *Quaest. Politic.* ad h. loc. *Tacit.* a) *German. antiqu.* L. I. c. 13. p. 173. b) ad *Polit. Aristotelis* L. II. c. III. p. 175. c) not. ad *Porphyrus vitam Pythagore*, p. 82. quem cit. *Jo. CLERICUS* not. ad *Henr. HAMMONDI* *Nov. Testam.* à se Latine versum ad *AEL. IV.* 35. d) *Leguntur illi versus in Scymni fragmentis Holstenianis & Codicibus MScrip. haustis, quae illius περιγῆσις h. e. Orbis descriptioni sub-*

Vitamque de communibus agunt bonis
Opesque cunctas publicas cuncti habent,
Ex his Nomadibus gente quam piissima
Anacharsis e) ortus dicitur sapiens homo.

Inter Philosophos Gentiles primus omnium **PYTHAGO-** 1) *Pythagora*
RAS Communionem Bonorum introduxisse fertur à *Diogene*
LAERTIO f) his verbis: *Primus autem, Timeo Antore, Amico-*
rum omnia communia dixit, amicitiamq; aequalitatem. Ipfus
quoque discipuli omnes facultates in unum deponebant commu-
nesq; faciebant. Cui patrocinator A. Gellius g) cum scribit:
Omnes simul, qui a Pythagorâ in cohortem illam disciplinarum
recepti sunt, quod quisq; familia pecuniaq; habebat, in medium
dabant; & coibatur societas inseparabilis; tanquam illud fuerit
consortium, quod jure absq; verbo Romano appellatur κωμόσιον.
quomodo hunc locum Gellianum legendum esse opinamur
substituto cum *Jo. SCHEFFERO* h) absq; pro atque: rele-
gatâ ad barbaros emendatione *Jo. SCHILTERI* i) qua ita
legit: *quod jure atque verbo Rom. appellatur: hercto non cito.*
Pythagoram imitatus Plato (quicquid etiam pro neganda 2) *Platoni*
hac imitatione adferat *Cl. BUDDIUS*, k) adhuc ulterius
provehctus, etiam Uxorum liberorumque Communionem in
Kempubl. invehere conatus est, quam ob causam eum ad

C 2

Junio-

subjunxit Celeberr. Oxoniensis Biblioth. Præfctus *Jo. HUD-*
SONUS in *Geograph. veteris Scriptorum Græcorum minorum col-*
lect. Vol. II. quod prod. Oxon. 1703. 8vo. p. 50. c) *Ex barbaris*
nullum præter unum Anacharsin Scytham, philosophatum fuisse
scribit LACTANTIUS L. III. c. 25. Qui Philosophiam, in quibus,
ne somniasset quidem nisi & Linguam & Græcas literas ante
didicisset. Vid. Egid. MENAGII Observ. ad D. Laert. L. I.
Sect. 101. f) in Vita ejus L. III. Sect. X. g) Noct. Attic. L. I.
c. 9. h) de Philosoph. Italica c. 4. i) dissert. de discipl. Pytha-
gor. §. 58. k) Parerg. Histor. Theol. Disp. de Allegoriis Originis
p. 153.

Junio rem Dionysium profectum fuisse scribit *Diog. LAERT.*
 l) quod & *A. GELLIUS* testatur, ipsum etiam tempus hujus
 peregrinationis definiens, m) quo nomine PLATO magnopere
 vapulat ab *ARISTOTELE*, n) *LACTANTIO* o) *ATHE-
 NÆO*, p) *POLYBIO* q) & imprimis ab *Ægid. MENAGIO* r) qui
 simul ex Porphyrio in Vita Plotini refert, hunc Plotinum,
 discipulum Platonis, inductu Imperatoris Galieni ac uxoris
 ejus Saloninæ *PLATONOPOLIM* condere voluisse, cujus ta-
 men conatibus obfuere Imperatoris familiares. Nec suffi-
 ciunt, quæ *Petr. GASSENDIUS* s) pro excusando Platone ad-
 fert, scilicet a) ipsum profiteri se hujusmodi *Resp. formam tra-*
didisse, non quæ esse in generis humani societate possit, sed quæ
sit ὡς πρᾶξις, quasi exemplar quoddam, ad quod quanto pro-
pius Resp. accesserit, tanto censeri perfectior possit; β ipsum in
Libris de LL. l. 6. & 7. sic sententiam suam emendare, ut sublata
uxorum liberorumq; commuione LL. præscribat de Matrimonio,
de jure dotium, de divortio, de liberorum institutione &c. Ete-
 nim constans sapientum est sententia, hujusmodi formas Re-
 rump. præscribi oportere, quæ in usum deduci possunt; non,
 quæ sunt ex genere ἀδυνάτων: horum enim nullus usus est.
 Omnia autem ad utilitatem publicam, supposita honestate,
 referri debent. Imò vero non suspicor Platoni hanc sedisse
 sententiam, ut nobis remp. duntaxat idealem sisteret; cum
 ad instituendam talem Dionysium Junio rem adierit, ac Ploti-
 nus, ut monitum supra, ad ideam Præceptoris, novam ur-
 bem extruere allaborarit. Quæ sane tacta non fuissent, si
 Plato ideis duntaxat ac chimæris fuisset delectatus. Quid?
 quod ipse Gassendus fateatur, Platonem suæ opinionis pœni-
 ten-

- l) *L. III. Se^a. XI. §. 21.* m) *Noct. Attic. L. XVII. 21. p. 438.*
 n) *L. II. Polit. c. 1.* o) *Inst. div. L. III. de fals. Sapient. c. x.*
 p) *Dipnos pb. L. XI. c. ult.* q) *Libr. VI.* r) *Observ. ad Laert.*
l. c. s) *L. X. in Laert. de Morali Philosoph. Epicuri p. 1463.*

tentem, eam emendasse; at quid emendatione opus est illorum, quæ nobis nunquam seriò in mentem venerunt. Stat itaq; Platonem Communionis Bonorum, quin & mulierum liberorumq; patronum extitisse. Plura de Philosophis C. B. statuentibus testimonia apud HOLSTENIUM libro cit. extare à CLERICO perhibentur, quem tamen ad evolvendum adipisci non potuimus. Singulare est observatum *Cl. Viri Lamberti BOS*, Prof. Franequerani, de mulieribus, quæ, cum displiceret illis pessima regiminis forma, quæ id temporis obtinebat Athenis, sexum mentitæ Ducem sibi & Gubernatricem delectæ, nomine *Praxagoram* meliori Reipubl. formâ se imperaturas putarunt, si juberent omnes omnia sua bona in forum deferre, ut nemini quicquam esset proprium. Subjungit præterea *Vir Cl. t*) elegantem locum apud *Comicum in Ecclesiast.* occurrentem, quo *Praxagora* de instituto suo disserens introducit, & quo non parùm illustrari potest, quod à *LUCA* in loc. alleg. notatur.

Institutum Praxagoræ semine Atbe-B. introducenda

§. XV.

Nec inter Judæos defuerunt, quibus **Communio Bonorum** ad paratum fuit. Vulgarum est *Essæos* seu *Essenos* hac vivendi ratione fuisse delectatos. JOSEPHUS sane, Rerum Judaicarum non indiligens Scriptor memorat u) illos *facultates in commune possidere, nec quenquam divitem magis uti rebus suis, quam alium quemvis nihil possidentem.* Qui an iidem fuerint, quos *PHILO* Judæus x) describit, alii disquirant. Conf. *Nicol. SERRARIUM* y) *Jo. DRUSIUM* z) & *Just. Joseph. SCALIGERUM* a) fusissime hac de re infestis erga se invicem calamis agentes. Nobis sufficiat, si statuamus cum

β) *Judaicis*

C 3

Cele-

t) *Exercit. Philolog. p. 48.* u) *Antiqu. Judaic. L. XVIII. 2. Lit. A.* Confer etiam eundem *L. II. c. 7. de Bello Judaico.* x) *de Vita contemplativa p. n. 1199.* y) *L. III. c. 4. de Tribares.* z) *adv. sundem L. IV. c. XXIII.* a) *Elench. Tribares. c. XXVI. p. 459.*

Celeberrimo Altorff. Theol. *Christoph. SONTAGIO* b) illos non fuisse Christianos, sed Judæos Pythagorizantes, quia de doctrina Christiana ne jota quidem apud Philonem occurrit. Ut proinde fallat *EUSEBIUS*, c) aliq; Veteres Hist. Ecclesiastica Scriptores, qui Apostolorum discipulos fuisse arbitrantur, à quo inter ipsos Pontificios habes dissentientes, Henr. Valesium d) & Dionysium Petavium. e) Confer omnino Celeberrimum *Thom. ITTIGIUM*. f) Pontificii etiam in classem Cœnobitarum Judaicorum trahunt Nazaræos ac Rechabitas; enim verò eos falli ac fallere, docuit olim Magnus noster *SCHELGVIGIUS*; g) quam controversiam ex Reformatis fufius sistunt *Gisb. VOETIUS* h) hoc inprimis argumento demonstrans non fuisse Monachos, quod nihil de Votis Monasticis hodiernum usurpatis (quæ tamen fundamenti loco à Pontificiis substernuntur) obseruarint, & *Herm. WITTSIUS illud Batava Gentis Decus inter eruditos & ornamentum. i)*

§. XVI.

γ) quibusdam ex ipsis Christianis, quorum nonnulli paupertatem spontaneam professi, ut:

Inter Christianos tamen surrexere plurimi, quibus Communio Bonorum non displicuit. Tenuis ingenii vires non permittunt omnia ex reconditis Antiquitatis sacræ adytis eruere: sufficiat paucis rem adumbrasse lineolis. Negan- dum equidem non est multis Hæreticis spontaneam paupertatis professionem arrisisse: at quantum quidem ex Historia Ecclesiastica nobis constat, Communio Bonorum seculo Apostolico & huic proximo nullibi præter Hierosolymam viguit. Certum ac compertum habemus, jam in Ebionitis, Tatianis,

Encra-

- b) *Dissert. de Therapeutis* 1713. bab. c) *Hist. Eccles. L. II. c. 7. d) in Euseb. loc. cit. e) Animadvers. ad Epiph. Hæres. XXVIII. p. 53. f) in Historia Eccl. Seculi I mi c. 4. §. 15 seqq. Conf. etiam si vis Centurias Magdeburgenses Cent. I. L. I. c. 5. de Sectis Judæor. p. 232. seqq. g) *Dissert. de Rechabitis. h) Pœlit. Eccles. P. II. L. IV. Traët. IV. Sect. I. c. 1. i) Meletemat. Sacr. T. II. Exercit. IX.**

Enkratitibus, Apostolicis, &c. semina adfectatæ paupertatis deprehendi. De Ebionitis sane *Cass. CALVÖRIUS* k) observat, *Ebionita.*
in illis originem monachalæ paupertatis ad superstitionem gloriose ac meritoria extitisse. Conf. etiam si lubet. *Beatum nostrum SCHELVIGIUM.* l) De Tatianis & Enkratitibus evolvi meretur *Th. ITTIGIUS.* m) Ex horum infelici propagine progerminarunt sic dicti Apostolici seu Apotactici, uti rectè notavit *Lamb. DANÆLUS;* n) *Fuerunt,* inquit, *procul dubio Enkratitarum sive Tacianorum infelix propago & amara fructificatio, qua suas & ipsa radices egit, multosq; postea palmites produxit inauspicatos, & paucis lineolis interjectis: Hæc hæresis, universi Monachismi, imprimis autem fratrum, qui dicuntur mendicantium, fundamentum.* Teste enim *EPIPHANIO* o) hoc diligenter observarunt Apostolici, ne quicquam proprii possiderent. De inopia rerum omnium gloriati sunt, ac sacrosanctam *DEI Ecclesiam* adscititiis superstitionibus temerè dividerunt. Quorum dogmata *Seculo XII,* uti vult sæpius à nobis consultus *Th. ITTIGIUS* p) vel *seculo XIII.* prouti quidem *Cass. CALVÖRIO* q) videtur, à Fratricellis, etiam Apostolici dictis, ex orco revocata fuisse exploratum est. Quin imo & hoc nobis constat, Nicolaitas seculo à Christi natalibus primo uxorum communionem omni jure repugnantem in sacrationem Ecclesiæ Christianæ pomœria invehere admissos fuisse: (Conf. *AUGUSTINUM.* r) etsi Nicolaum, unum ex VII. diaconis cuius fit mentio in Actis perverissimæ hujus opinionis Autorem fuisse cum versatissimo in Antiquitate Ecclesiastica Viro, *Th. ITTIGIUS* s) in *Fissuris Sionis* L. I. c. 8. §. 5. n. 13. 1) in *Disputat. de Ebionitis* §. 13. m) *Diss. de Hæresiarchis Sect. II. C. XII. p. 199. seqq.* & *Historia seculi post Christum natum* I Idi c. 7. de Hæresibus hujus seculi p. 330. n) ad *Augustinum de Hæresibus ad Quodvultdeum* c. 40. o) *Hæresi XLI. sive LXI.* p) de *Hæresiarchis Sect. II. c. 12. §. ult.* q) in *Fissuris Sionis* L. XIII. c. 5. §. 6. r) l. c. c. 5. p. 60.

Tatiani
Enkratitæ
Apostolici

Nicolaitæ
Communio-
nem Uxo-
rum intro-
ducendam
esse statuen-
tes notati

*Verum à
paupertate
spontanea &
Ux. Com. ad
C.B. N.V.C.*

*Origo Mona-
chatus evi-
sccratur.*

*Patres no-
tantur*

ITTIGIO s) nobis negandum videatur. Enim verò uti à spontanea paupertatis professione ad Communionem Bonorum concludere disconueniens est; ita nec à Communionem Uxorum ad Communionem Bonorum Consequentia valebit. Ex quo euidetum habemus, duobus prioribus seculis, nulli locorum, Hierosolymis exceptis, B. C. introductam fuisse. At seculo demum tertio gravissimis Decii Imperatoris persecutionibus plurimi fidelium commoti in loca ab hominum cultu deserta concesserunt. Huic vivendi generi advefactus Paulus Thebæus, aliis licet post sopitam persecutionem ad sua redeuntibus, in Eremo Thebæensi ad ultimum vitæ halitum perduravit, quem imitatus Antonius discipulis suis Anathæ & Macario autor extitit, ut idem vitæ genus sectarentur. Quos plurimi dum æmularentur, ex vita eremitica in cœnobiticam collegit *BASILILIUS Casariensis Episcopus*, seculo post Christum natum quarto, certas vivendi regulas illis præscribens. Verum tum temporis Monasteria illa nihil aliud fuere quam officinæ optimarum artium, quibus Viri ad docendum apti Ecclesiæ pararentur. Ex quo evidens est ultra ducentos & quod excurrit, annos nihil de Monachis in Ecclesia fuisse auditum. Conf. B. noster *SCHELGVIGILIUS*; t) è Reformatis *Rudolph. HOSPINIANUS* u) & *Güb. VOETILIS* x) Verum enim verò post hæc tempora Monastica inter Christianos vita adedò obtinuit, ut nonnullos etiam Patrum nomen suum ei dedisse non sit inficiandum. Atq; ex illa hypothesi etiam quorundam Patrum Platonicis præceptis ut plurimum imbutorum y) patrocinantia Communioni

Bono-

s) *Historia Seculi I. c. 5. §. 50.* t) *In der Prüfung des Papstthums c. 26, p. 459.* u) *de Origine Monachatus. L. II. c. 3 p. 1.* x) *in Politia Eccles. P. II. Sect. I. c. 11.* y) *de Hypothesibus Patrum ex doctrina Platonica haustis vid. Ehre Gott Daniel Colberg Platonisch-Hermetisches Christenthum c. 1. §. 6. p. 27. J. M.*

Bonorum verba, à *Lovino* 2) citata profluxerunt. Quanquam si dicendum, quod res est, eam simpliciter approbasse non constet. Instar omnium exempli loco juvat allegare *Celeberrimum Hipponensum Episcopum, Aurel. AUGUSTINUM* a) qui licet in eâ fuerit sententia cum nonnullis ex Patribus, quod *propter illa quæ singuli possident, lites, inimicitia, discordia, bella inter homines existant; tamen ab amore duntaxat possessionis privata suos avocare unice allaboravit.* At quam longissimè ab hujus mente deviârunt Monachi Pontificii, paucis nobis ostendendum erit. Etenim lumina illa Ecclesiæ, Patres, Communionem equidem Bonorum eximiis encomiis celebrarunt; verum nullo necessitatis telo ad eam amplectendam quenquam impulere, nec opinionem aliquam meriti huic vivendi rationi adfinxerunt. Monachi autem Papales sequioribus temporibus *adscititiis superstitionibus,* (quod *EPIPHANIUS* de Apostolicis b) refert) *sacro sanctam DEI Ecclesiam dividentes,* singularem ex hoc vivendi genere perfectionem sibi sunt polliciti. Hinc adamantina *Trium Votorum vincula,* quæ *Bellarminus* c) *aptissima atq; utilisima ad perfectionem Monasticam acquirendam instrumenta* vocat, cedere: Inter quæ & spontanea paupertatis professio habetur. Hoc tamen mirari me subit, cum nonnulli *altam, altio rem,* alii, alii *altissimam paupertatem* profiteantur; nihilominus pleriq; in omni rerum affluentia vivant ac *saturi pleno laudent jejunia ventre.* Vide *SCHELGIUM* sæpissimè citatum d) Neq; etiam illud assequor, qua ratione Pontificii *Jo. Wicle-*

A quorum sententia recedentes Monachi Pontificii Communionem Bonorum simpliciter in Monasteriis necessariam professam spontanea statuunt.

D

J. M. Heineccius Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirchen P. II. c. 1. p. 12. & qui primo loco erat ponendus Celeberrimus Christ. Frider. BUCHERUS, vov èv aigiois in Platone mystico passim. 2) in Act. II. 44. a) Tom. IV. in Enarratione Psalmi CXXXI. p. 1102. b) Hæres. XII, sive LXI. c) L. II, de Eccles. Milit. c. 2. d) Loc. cit. p. 463.

sum Anglum Sec. XIII. clarum, jure possint exagitare, quod statuerit, nihil proprii Sacerdotibus possidendum esse. Vid. *APOLOG. A. C. e)*

§. XVII.

*Anabaptista
autem
Monasteri-
enses,*

Maxime tamen detestanda fuit illorum Bonorum Communio, quam superiori, & quod excurrit, seculo, *Monasterienses Anabaptista* introductam voluerunt: quorum inter dogmata & hoc refertur, *non posse quengquam saluum fieri, nisi facultates omnes in Commune conferat, nihilq; proprium possideat.* Hinc in obsidione Monasteriensi primi nominis apud eos propheta, *Johannes Matthias*, Pastor prius Harlemonsis sub captis pœna, ut quod quisq; haberet auri argentiq; ac rei mobilis, id omne deferret in medium edidit; quod tamen maximas inter ipsos turbas concivit. Vid. *Joh. SLEIDANIUS f)* & *CALVÖRIUS. g)* Neq; illa Communio cum perversis istis homuncionibus expiravit: sed postmodum *Moravienses Anabaptista* eam refuscitarunt, teste *LIMBORCHIO h)* qui illorum vitæ genus satis concinnè delineavit; *Stephano GERLACHIO, i)* cui jocosæ cum affine suo, huic sectæ addicto, altercationes intercesserunt; & *Christ. Andrea FISCHERO, k)* qui Autoris hujus Communionis, *HUTERI* nempe, Vitam & mores ipsius *GABRIELIS Anabaptista* verbis descriptos exhibet. Hodierni autem Anabaptistæ tantum abest, ut hanc doctrinam profiteantur, ut potius ad rem sint attentissimi, nec in corrodendis nummis cuiquam Judæorum cedant: cæterum in nonnullis dogmatibus Socinianis proximè accedunt, adeo quidem, ut *Cl. Henr. Lud. Bentheim* 1) non sine causa Anabaptistam dicat esse indoctum Socinianum.

Moravienses,

c) *Art. XVI. de Ordine Polit. pag. 217.* f) *de Statu Religionis L. X. g) in Fissuris Sionis, de Anabaptistis.* h) *AEI. II. 46.* i) *Itinerario seu ut titulus habet: Törcisches Tage-Buch p. 535.* k) *der Huterischen Widertäufer Tauben-Kobel p. 32.* 1) *Holländischen Kirchen- und Schulen-Staat c. XIX. S. 14. p. 834.*

num. Eandem cum sequioris temporis Anabaptistis tubam inflavit *Valent. WEIGELIUS*, cujus parallelismum doctrinæ cum hisce Fanaticis nobis sistit *HISTORIA FANATICORUM*. m) *Weigeli* verba huc spectantia condensato agmine collegit *Joh. HIMMELIUS*. n) Sufficiat unicum testimonium adduxisse. Ita verò scribit: o) Eben darzu sind wir erslich erschaffen / daß wir unter ander wandeln in der Liebe und bleiben im Garten dieser Welt unter einem Vater ohne Eigenthum in gemeinen ungetheilten Gütern / daß wir frey unter einander gebrauchen die Früchte / die Gewächse / die Fische / die Vögel / die Thiere / wie wir sonst gebrauchen des gemeinen Sonnen-Lichts und der Luft. Labadistas Communioni Bonorum tum in theoria, tum in praxi studuisse non diffitetur ipse *ARNOLDUS*, p) neq; inficias it, ipsis objectum fuisse, quod ditiores inprimis in casses suos pertrahere conati fuerint. Simile quid nostra ætate *Petrum POIRETUM*, Virum non indoctum, sed novarum hypothesium studiosissimum, ejusq; assecclas suscepisse, quod tamen litigioso eventu fuit disruptum, mihi narravit *Excell. PRÆSES* Disputationis hujus.

Weigelius,

Labadista,

Poiresus,

§. XVIII.

Neq; ab hac incongrua hypothesi recesserunt illi, quibus simulata pietas in pretio est. Apertè quidem id professi sunt, & in publicis scriptis. Imo nescio, an injuria inferatur ipsi *Cl. Phil Jac. SPENERO*, quando introducendæ bonorum Communionis patrocinium suscepisse accusatur à *Jo. Georg. NEUMANNO* q) & *SCHELGVIGIO* nostro. r) Verba ipsius sunt sequen-

Pietista,

D 2

m) *L. I. c. 8. p. 44.* n) *Colleg. Anti. Enthusiast. Jen. 1627. Disp. 9. p. 162.* o) *ex Part. II. Postilla Weigel. p. 45.* p) *Kitcher und Reher. Historie P. II. L. XVII. c. 21 §. 16.* q) *Disp. de Reformatismo Eccles. nostræ intentato c. 1. § 9. n. 2. p. 27.* r) *Supplem. Synops. Artic. XXX. Th. IV.*

quentia: s) Wer gedencket wol/ob schon die Gemeinschaft unter den Christen/welche in der ersten Hierosolymitanischen Kirchen gewesen/ nicht geboten/ daß gleichwol eine andere Gemeinschaft der Güter ganz nothwendig sey/ daß weil ich erkennen muß/ ich habe nichts eigen/ sondern es sey alles meines Gottes eigen/ ich aber allein darüber bestellter Haushalter/ mir durchaus nichts frey stehe/ das Meinige vor mich zu behalten/ wenn als lang ich wil. Quæ quammvis sanò explicari possint sensu, ab ipso tamen *Spenero*, cui ab orthodoxis ea propter *lis mota est*, nimis frigidè excusantur, t) ut vix dubium sit, ipsum C. B. defensorem fuisse, noluisse tamen animi sensu aperte explicare. Apertius ac impudentius *Hyperpietista*, uri *SHELGVIGIO* nostro dicuntur, (confer *Wigandiana* u) *Communionem Bonorum propugnarunt*. Dolemus *Celeberrim. THOMASIIUM* hic primo loco nominandum esse. Ita enim inquit: x) Die Seele des Geld-Geitzes bestehet in der Begierde des Eigenthums. Die völlige Gemeinschaft ist ein nothwendiges Stück vernünftiger Liebe/ & post aliquot *lineas*: Der Geld-Geiz hat das Eigenthum ausgeheckt. Succedit *Christ. DIPPELIUS*, qui satis crudè scribit: y) Wir zeugen/ daß alle peculia oder possessiones ihren Ursprung aus Babel haben. Et sodalis ipsius *ARNOLDIUS* z) Welche Sache (intelligit verò *Communionem Bonorum*) ob sie wol in der vorgegangenen Unordnung in Münster/ und anderswo des Zwecks verfeh-

Hyperpietista longius propechi.

s) *Pis desideris* p. 42. t) in der Uebereinstimmung *Art. XVIII. Th. X. p. 277.* u) *De Statu Oeconomico* §. 2.3. p. 115. x) *Arch. neij* c. 11. n. 25. p. 282. vid. *cap. 1. n. 13. p. 8.9.* y) im *Christen-Staat* p. 79. z) *Kirchen- und Kezer-Historie* l. c. §. 21.

fehlet; so ist sie doch insgemein von Verständigen nicht verworffen/ sondern vielmehr unter wahren Christen vor gut/ und also für keine Kezerey gehalten worden. Imo alio loco a) putat Communionem Bonorum adhuc locum habere posse inter regenitos, quia perfecti in hac vita esse possunt, nec metuenda est confusio: sed de hoc nobis jam fufius agendum erit.

§. XIX.

Etenim ratio instituti nos admonet, ut mentem nostram aperiamus, ac quid de Communione Bonorum in Rempubli- cam Christianam introducenda statuendum sit, adferamus. Ante omnia autem status controversiæ ritè pangendus erit. Neq; enim negamus a) dari quædam J.N. communia, quibuscum ita comparatum est, ut vel nullo modo quoad proprietatem possint occupari, vel à quovis, qui ea nondum occupata offenderit, in proprietatem redigi possunt. b) Neq; ß) diffitemur, dari quandam Communionem Jurium, tum jure naturali inter omnes homines, ut sunt communia humanitatis officia; tum jure Christianis proprio introductam. c) Neq; in dubium vocamus γ) Communionem illam spiritualium fidelium inter se d) utpote qui veluti membra corporis inter se cohærent, & mutuò communicant *ἐν ἀγάπῃ*. e) Posito controversiæ statu talem nobis formamus quæstionem: *An Communio Bonorum seu facultatum temporalium, ita ut unusquisq; nihil proprii possideat, sed omnia in communi, inter Christianos, hoc rerum articulo, quo nobis inpresentiarum vivere datum est, ita sit necessaria, ut è re Christiana illam introducere oporteat?* Quam quæstionem simpliciter negamus, eamq; negatam idoneis, quantum per ingenii vires fieri potest, argumentis comprobaturi sumus.

Negativa est preferenda, qua formato controversiæ statu

D 3

§. XX.

- a) *Leben der ersten Christen L. III. c. 8. §. 13 p. 166.* b) *OB. BRECHT l. c.* c) *Vid. Excell. DNI. PRÆSIDIS Disput. cit. c. 1. §. 22.* d) *Eph. IV. 16.* e) *1. Cor. XII. 13 14. 1. Job. 1. 7.*

§. XX.

Probatur
I. |
à defectu
mandati
divini.

Ac primò quidem assertionem nostram corroboramus eò, quod nullum de Communione Bonorum in Remp. introducendâ extet mandatum: de quo autem nullum præceptum divinum legitur, illud Christianis frustra sub specie necessitatis obruditur. Alias enim electitium sibi cultum formarent, qui DEO magnopere displicet. *Frustra me colunt, inquit SALVATOR noster, docentes doctrinas & mandata hominum.* f) Unde & Pharisæis comminatus est: *Omnem plantationem, quam non plantavit Pater celestis, eradicatum iri.* g) Neq; verò dubium est, Respublicas esse DEI ordinationes: quas tamen summus rerum *ARBITER* nunquam introducta omnium rerum communiōe moderatus fuisse legitur. Sane si è re publica esset, bonis in commune collatis omnium, eam administrari; *DEUS* *Evangelicæ* Israeliticam hac regiminis forma ordinasset, cujus quidem indolem nobis sistit *Celeberr. Ad. RECHENBERGIUS.* h) Quod verò ad C.B. Hierosolymis usurpatam attinet, jam superius diximus §. XI. neq; ibi ullum extitisse mandatum divinum, sed profelytos Christianorum sua sponte propter imminens excidium gentis Judaicæ, ex flagrantissimo erga se invicem amore, ac metu gravissimarum persecutionum (quæ quidem causæ sibi non opponendæ, sed coordinandæ sunt) hanc introductam voluisse: verum ex illo ipso fundamento, quod destitueretur mandato divino, diuturnitate se commendare non potuit; adeoq; in exemplum non est trahenda; Secus ipsi Apostoli peccassent, quod alibi locorum eam non introduxissent i)

§. XXI.

Quin potius jubentur Christiani proprium possidere.

II.) ab intro-
ductâ divi-
nitus rerum
proprietas.

Qui-
f) *Matth. XV. 9. 10.* g) *Matth. V. 13.* h) *Lexic. Ecclesiast. voce Evangelica.* i) *Vid. PRUCKNERUM in Vindiciis Script. S. ad Act. 11. 45. seqq.*

Quibus vero proprii possessio injuncta est, illis Communio Bonorum non potest esse necessaria. Inter proprium enim & commune non datur tertium. Assumptionem suffulciunt sequentia. α) DEUS ipse jussit in sudore vultus *panem proprium comedere*; k) & per Apostolum in N. T. vult expresse quemvis comedere (τὸν ἑαυτοῦ ἄρτον) l) *panem proprium*, curam gerere (ἰδία οἶκος m) *domus propria*. Hinc etiam de *Oeconomia ratione*; deq; officiis tam parentum quam liberorum, tum dominorum quam servorum, tam divitum quam pauperum praescribit; n) & ipse Gentium Doctor ὀμνησεύχος, *PALLIUS*, coram presbyteris Ecclesiae protestatur, se nullius aurum aut argentum aut vestem concupivisse; imò verò ipsos scire, usibus ejus ac eorum, qui secum fuerunt, manus suas inservivisse. o) Quae inanis fuisset gloriatio, si omnia inter Christianos communia esse deberent. Adhæc β) *jubemur ex propriis bonis aliorum paupertatem sublevare* p) quod locum invenire non posset, nisi propria bona possidere nobis integrum esset. Quin imò γ) Parentes liberis jubentur (ἱεραυγίζεν) *thesavros colligere* q) quod iterum Bonorum Communio non admittit, siquidem thesauri collectio quid superflui importat, quod tamen absorbet B.C. Cui & illud δ) accedit, quod DEUS in septimo praeccepto rem alienam invito domino auferri vetuit, furibusq; in contrariis nitentibus in V.T. poenam restitutionis in quadruplum, quintuplum &c. dictavit. r) Revera cujuslibet bona propria hoc praeccepto seu aheneo quodam muro circummuniuntur; cujus tamen in C.B. locus nullus est. Deinde ε) *discrimen inter pauperes & divites esse voluit* s). Atqui hoc discrimen tolleretur, nulliq; pauperes nulliq; divites erga se invicem essent, si com-

k) Gen. III. 17. l) 2. Thess. III. 12. m) 1. Tim. III. 4. n) Tit. II. 10. 1. Thess. IV. 11. 2. Thess. III. 8. o) Act. XX. 33. 43. p) Gal. IV. 9 10. q) 2. Cor. XII. 14. r) Exod. XXII. 1. seqq. s) Prov. XXI. 2.

si communibus vivendum esset sumtibus. Ultimùm §) **DEUS** ipse proprietatem inter Israëlitas constituit, terram promissam inter ipsos dividendo : t) Ergo **DEUS** proprium possidere jussit.

§. XXII.

III.) à Praxi Hinc Fideles tùm in V. tùm in N. T. propria possedisse *V. & N. T.* legimus. In vulgus nota sunt exempla Patriarcharum, Davidis, Salomonis &c., qui sibi hoc in lucrum reputarunt, quod **DEUS** omni rerum affluentia illos circumfudisset, u) de quo evolvendus **Ehre Gott Daniel Colberg.** w) Quem fugit in N. T. & ante & post resurrectionem **CHRISTI** fidelibus fuisse propria? Cum **SALVATOR** noster necdum cruentam pro nobis mortem oppetiisset, non est obscurum, mulieres, quæ facultatibus suis **CHRISTO** inservierant, y) Lazarum, ejusq; sorores z) Josephum Arimathæensem, a) Zachæum b) propria possedisse, licet nonnulla bona in sustentationem pauperum erogarent, ea tamen in commune contulisse, ne vola ne vestigium quidem occurrit. Neq; post gloriosum **CHRISTI** in cœlos ascensum omnes fideles proprietate bonorum se abdicarunt, imprimis qui extra pomæria Hierosolymarum vixerunt; imò nec illi ipsi, qui Hierosolymis commorabantur, in commune contulerunt omnia, uti supra ostensum est, c) Alibi verò de pietate commendantur *Tabitha*, d) *Simon Coriarius*, e) *Cornelius Centurio*, f) *Lydia*, g) *Cajus*, h) *Philemon*, aliiq; ; at nullibi reperimus, illos Christianæ religioni contrarium duxisse propria possidere. Quodsi itaq; tùm in V. tùm in N. T. credentes facultates

reti-
t) *Jos. XIII. 7. & cap. XIV.* u) *Gen. XXIV. 35.* x) *Platonisch-Hermetisch. Christentum c. XVII. p. 769.* y) *Luc. VIII. 2. 3.* z) *Job. XI. XII.* a) *Luc. XXIII. 50. coll. Job. XIX. 19.* b) *Luc. XIX. 2.* c) *§. 6.* d) *Aët. IX. 36.* e) *ibid. v. 43.* f) *Aët. X. 2.* g) *cap. XVI. 9.* h) *ibid. v. 23.*

retinere proprias potuerunt, suapte fluit, Communionem Bonorum inter Christianos non esse necessariam.

§. XXIII.

Namq; & illi probe intellexerunt, quamplurima secum commoda proprietatem ferre. Primùm quidem, qui propriae suae suorumq; sustentationi studet, majori DEUM acquiescit, quam bonis in commune collatis. *IV. à com- modis, que* enim in providentiam DEI necessitati nostra prospicitur non aq; insignis esse potest, cum quis centum manus pro se laborare novis, quam cum solus sibi relinquitur, variis casibus obnoxius. i) Deinde etiam curæ divisæ, quas proprietates nobis injungit, non pariunt *ἐγυλίματα*, (ut Philosophus loquitur, k) & exemplis peregrinantium illustrat quæ aliàs in Communione Bonorum sapissimè facili negotio occurrunt, sicuti ipsa cœnobija loquuntur; sed quisq; sua sorte contentus rebus suis satagit, ex quo pax & concordia firmantur. Tum quoq; ansam suppeditat, liberalitatem nostram erga egenos exercendi, ad quam divinus codex nos plus simplici vice serid adhortatur, l) atq; ut eam exercere possimus nos extimulat, ut eò acrius laboremus, quo habeamus, ex quo egenti dandum sit. m) Quibus deniq; naturalis illa, eaq; honesta, ex bonis propriis cum justitia particulari conjuncta exsurgit delectatio, qua pane nostro, in sudore vultus quaesito non citra gratiarum actionem uti fruiq; possumus n) Quod ipse STAGIRITA cognovit l. c. in hæc verba erumpens: *Quin etiam gratificari & opulari amicis, vel hospitibus, vel sodalibus jucundissimum est.*

§. XXIV.

Neque è contrario fideles fugit, quanta incommoda ex Communione Bonorum consequerentur. Communia ut

E

- utiliter communitur pro-
pluri-pter incom-
moda:
i) Ruarius P. I. Epist. 72. p. 312. k) L. II. Pol. c. IV. l) 2. Cor. IX. II. P. XXXVI. Prov XIX, 17. m) Eph. IV. 28. n) Prov. I) Communia enim negliguntur.

plurimum negliguntur, quod animum non ita adficient, ac propria, quæ naturalis instinctus nobis commendat. *Duo enim faciunt, o) ut maxime homines ipsorum curam suscipiant: proprium & dilectum;* quæ in Communione Bonorum exultant. Hinc curam illorum rejicimus in alios, ubi dum alter alterum respicit, nihil sit operis. Atque hanc ob causam plurimi ad ignaviam invitantur. Cur enim molestis laboribus se torquerent pigri, ubi multos pro se laborare nõrunt. Ex quo non possunt non lites ac contentiones prope indissolubiles enasci. Unde *Leonb. LESSIUS, p)* non inepte judicat, modo quod Communionem primævam supponit: *Res si manerent communes, totus mundus perpetuis contentionibus & bellis arderet.* Neque enim quisquam facile ibi inficias, Communionem Bonorum tacitam quandam involvere divisione etc. observavit doctissimus *PICCARTUS, q)* quæ divisio, si non fiat similis tam ratione laborum, quam ratione fruitionum, statim oriuntur querelæ: Nam alter plus se laborasse dicit, minus accipere, & alium fecisse minus, pluribus frui quereretur, quibusq; etiam sibi optimum petet, feces nemo volet. Notatu digna sunt hanc in rem *Cass. ZIEGLERI* verba: *r)* *Qui societatis civilis naturam exploratam habent, impossibile esse arbitramur, ut talis Communio in ampla saltem civitate consistere diu possit. Didicerunt etiam ex quotidiano rerum & fori usu ICTUS OSTRI* (ita pergit Magnus ille *ICTUS*) *materiam communionis e. itare solere discordias s)* & propter immensas contentiones plerumq; res ad divisionem pervenire, *t)* nec augeri debere difficultatem communionis. *u)* Quod sane exemplum Pastorum Abrahami ac Lothi, communibus duntaxat pascuis

2.) C. B. tacitam divisionem infert in omnibus similem.

- o) *Afferente Philosopho L. II. Pol. c. II. p)* de *J. & J. L. I. c. I.*
 q) *ad Aristotel. loc. modo cit. r)* de *Diaconis & Diaconissis c. XIII. §. 7. p. 197. s)* *L. 77. §. 2. ff. de Legat. 2. t)* *L. 26. ff. de S. P. U. u)* *L. 8. in fin. ff. de reb. eor. qui sunt sub tut.*

paucis utentium, luculenter satis confirmat; x) & CHRISTIS ipse in Parabola de murmurantibus erga se invicem fervis apertè contestatur. y) Quin etiam, (ut propius ad Communionem Bonorum accedamus) nonne mox inter Christianos Hierosolymis *murmur factum est Græcorum adversus Hebræos, quod despicerentur illorum vidua in ministerio quotidiano?* Ex quo Apostoli coacti septem Diaconos ad ministrationem bonorum in commune collatorum constituerunt. z) Ut de querelis inter Anabaptistas motis nihil ex SLEIDANO a) adferamus. Adeo, inquit noster ZIEGLERUS, b) verum est, quod veluti oraculum quoddam ex Græcorum versibus laudat Anton. MORNACIUS: c)

3) turbas ac lites excitat

Πλείστου ἐπέει, ἐγιδέσ, μίση, ἐχθροῦτε κρυφαῖαι
 καὶ ὁ λυγέριων ἀλλοῦ πολὺς ἀλλοπερσοῦιδος
 Οἷς τῶχεν ἐν ζεβελῶ τ' οἴκω, καὶ δαίλι γενέσθαι.

Plurima enim contentiones, odia, inimicitiaeq; latentes
 Et contentuum multitudo plurima, hūc. hac disfilians
 Eis incidit, qui communi & domo & mensa utuntur.

Sed ponamus, neque illa metuenda sunt, (quæ tamen omnino metuenda sunt, quamdiu inter triticum z zania, ac inter bonos mali subnascentur,) illud tamen in comperto habemus, plurimarum virtutum fructus in Communione Bonorum suffocari. Infer communionem talem; at simul amoris, liberalitatis, abstinentiæ, parsimoniæ, diligentia, &c. exercitium auferes. Quomodo servari potest charitas, ubi nihil habes proprii, quo eam exeras? Quæ liberalitatis materia, ubi nihil possides, quod alii largiaris? Liberalitatis autem officium d) in bonorum usu & possessione consistit. Quæ abstinentiæ laus, ubi nihil alienum? nisi velimus furium appellare.

4) plurimarum Virtutum fructus impedit.

x) Gen. III. 6. y) Matth. XX. 9, 10. II. z) Act. VI. 1, 2. a) Loc. cit. L. X. b) de Dote Ecclesiast. c. XI. §. 2. c) ad L. 25. ff. de Serv. Urb. præd. d) uti Aristoteles L. III, c. III. p. 110. edit. Oppian, Jen. 1660. attestatur.

pellare, aliquid è communibus bonis auferre, ac è privatis possessionibus occultare, ne in communem usum convertatur, cujus tamen nullus potest esse fructus, (quemadmodum doctè LIMBORCHIUS, e) differit, Quæ parsimonix, quæ diligentix segetes, ubi eas vel planè exerere nequeas, aut satis coactè. At virtutum maxima laus est eam exercere èξ τῆς ἰδίας ἀγωγῆς. Quæ omnia & longè plura secum expendens LACTANTIUS, non immerito Platonem ita indignatur: f) *Pu-
rat igitur (Plato) se invenisse justitiam, cum eam prorsus e-
verterit: non enim rerum fragilium, sed mentium debet esse com-
munitas. Nam si justitia omnium virtutum mater est, cum illa
singula sollantur, ipsa subvertitur. Tulit autem Plato ante om-
nia frugalitatem, quæ utiq; nulla est, ubi proprii nihil habea-
tur: Tulit abstinentiam, siquidem nihil fuerit, quo absteineatur
alienum.— Sic virtutem, dum vult omnibus dare, omnibus a-
demit.— Nam Communitas nihil aliud est quam vitiorum licen-
tia.* Neque hoc prætermittendum est, Politicum ordinem, cujus tamen DELUS autor est, qui etiam ordinem imperii, sexus, staturæ &c. esse voluit, tolli funditus. Constituit supremus rerum Arbiter relationem quandam inter imperantem & parentem. g) At Communio bonorum illam disruptit. Fingas tibi statum quendam omnium hominum in communionem hac viventium; & simul statum ἀτακτικὸν tibi finxisti. Status naturæ institutæ erat procul dubio perfectissimus status: neque tamen ille sine subordinatione quadam inter Patrem & filium, maritum & uxorem fuisset, quæ omnino supponit imperium quoddam πατερικόν; at illud quandam proprietatem. h) Multo minus in statu naturæ destitutæ C. B. locum habebit, qui, etsi inter Christianos restituitur, nun-

5) omnem
tollit ordi-
nem.

c) *ad Aet. l. c.* f) *L. III. de falsa sapientia c. 22, p. 312.* g) *Rom. XII. 1.* h) *vid. DANNHAUERUM in Colleg. Decal. Dispo. XVII. §. 2. & MASIUM loc. cit. P. I. c. V.*

nunquam tamen ad perfectionem primævam in præfenti vita potest provehi: imo licet proveheretur, neque tamen C. B. inferret; quia ejus *πεωλόρωον* hujusmodi exemplar illi non fisteret. Hinc necessarius ordo Politicus inter Christianos confunditur, ubi omnia sunt communia. Quo confuso, etiam cæteri ordines confunduntur, quos elegantissimè nobis delineat *Mich. PICCARTUS*: i) Sicut, inquit, in corpore hominis tria sunt principalia membra, cerebrum, cor & jecur: ita in Civitate tres quoq; sunt ordines distincti, & cerebrum civitatis constituit *ORDO SENATORIUS*, qui prudentia præstat, cor civitatis, *ORDO MILITARIS* est, qui pro Reip. saluti vigilat, & hostes allatrat, atq; avertit, jecur deniq; civitatis, *ORDO MERCATORIUS* est. Sicut enim jecur sanguificando corpus alit & vegetat, ita Ordo Mercatorius necessaria importat, & succum veluti ac sanguinem civitati subministrat. Tandem si quis forte morosus Communionem Bonorum urgeret, illum vellemus rogatum, ut prius omnes pravos in homine affectus, omnem pigritiam, odium, invidiam, animum deniq; ipsum sua sorte nunquam contentum tolleret, quod uti in hac vita fieri nequit; ita nec Communio Bonorum inter Christianos necessaria, adeoq; introducenda dici haberiq; debet. Plura videlicet argumenta in laudatissima *DNI. PRÆSIDIS* Dissertatione in præmio hujus schediafmatis allegata. k)

Unde C. B. est impossibilis.

§. XXV.

Ultimùm etiam argumenta Adversariorum præcipua excutiamus, quibus Communionem Bonorum Christianis necessariam adstruere conantur. Nobis in præfentiarum arripet tres duntaxat illorum classes constituere, quarum primam Pontificiis, alteram Anabaptistis, tertiam deniq; Pietistis assignamus; cum Philosophorum Gentilium objecta discussit *David PAREUS*. l)

Respondetur ad Objectiones

§. XXVI.

i) ad *Aristotel.* p. 116. k) in *primis c. I. §. 21.* l) in *Exercitatio Philof. & Theol. Exercit. VI. p. 15.*

§. XXVI.

Pontificio-
rum
Obj. I.

Obj. II.

Causam Pontificiorum agit *Cornelius à LAPIDE*, m) ac Communionem Bonorum propugnat, asserendo I. *illam magnum virtutis & perfectionis compendium esse*. Sed Resp. invertendo argumentum: Magnum esse virtutis ac perfectionis (si qua in hac præfenti vita à nobis expectari potest; potest autem nunquam, quamdiu mortalibus exuviis circumdati sumus) dispendium: quia hac stante plurimarum virtutum exercitium sufflamminatur. II. *Per C. B. amorem & affectum avocari ab opibus & terrenis deliciis, quasi vitibus & exilibus, eumq; totum transferri ad DEUM & res caelestes*. Resp. Negando Minorem: quia ipsa communia bona sunt res terrenæ, quæ ergo à terrenis avocare possunt? Quid? quod Communio Bonorum Pontificiis usurpata illos potius implicet terrenis cogitationibus, qua scil. ratione Monasteriorum redditus adaugere, cuticulam curare, gratis anhelare, verbo: *pau-peres sine defectu* esse possint; quemadmodum eos graphicè depinxit *Jo. Tobias MAJOR*. n) Imo si Communio Bonorum eos avocaret, quæ spretarum facultatum propriarum laus est, ubi communes, easq; longe opimiores invenis? plurimi enim inter Pontificios vitam monasticam ideo amplectuntur, ut citra metum deficientiarum fortunarum vitam transigere possint: o) quibus verò facultates suppetunt, & nihilominus illud vitæ genus amplectuntur, *non persistunt in libertate, sed semetipsos iugo servitutis implicant contra Gal. V. 1.* Cui & illud accedit, quod de mundo per fidem vincendo gloriari non possint, qui quasi extra mundum vivunt. Egregia sane sunt illa *CHRYSOSTOMI* p) de Lecho inter Sodomitas pie vivente verba: *Ubi igitur sunt, qui dicunt,*
quod

m) *Comment. ad Act. II. 44.* n) *Annot. ad Act. IV. 33.* o) *Conf. B. SCHELGVIGII Prüfung des Dabsthumis c. XXV. p. 469. in c. XIX. Genes. Homil. 43.*

quod non sit possibile, in media civitate servare virtutem; sed opus esse secessu, & montanâ quadam conversatione, & non posse domui suâ præfectum, & habentem mulierem, & filium curantem ac famulos, virtute præditum esse? Videant ergo justum illum (Lothum) cum muliere, & pueris & famulis & in civitate degentem, & inter tam malos & impios versantem, & quasi scintillam quandam in medio mari lucentem, & non solum non extingui, sed & quotidie clariores radios emittere. Plura dabit sæpe citatus PRÆCEPTOR noster B. Samuel SCHELGUIGIUS. q) III. *Communione Bonorum, meritorum & omnium bonorum communionem parere.* Resp. hanc Thrasonicam assertionem subniti falsæ Pontificiorum hypothese de merito operum bonorum; imo blasphemæ: quia pretium merito Christi derogatur, dum in ejus locum surrogatur B.C. Quid? quod exinde consequatur, Gentiles in Communionem Bonorum viventes sibi ad salutem adipiscendam viam stravisse, nec Mediatore illis opus fuisse. IV. *Bonorum Communionem materiam litium, cupiditatum & tentationum omnium occasionem auferre; ac ex adverso materiam tempusq; ac aptitudinem suggerere vacandi sibi & DEO, meditandi, exercendi opera charitatis, spei, pietatis & virtutum omnium.* Resp. Hæc præcipua Pontificiorum, LESSIUM excipias, supra cit. objectio. Unde vulgatos illos cit. Joh. LORINUS r) verficulos:

Obj. III.

Obj. IV.

Si duo de nostris tollas pronomina rebus

Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Quod & nonnulli Patrum urgent: hinc concludit Lojolita: *Patres Meum & Tuum discordiarum causam dixerunt. Invertendum vero iterum est argumentum: Ipsum enim Meum & Tuum jure meritoq; fundamentum multitudinis, stabilimen-*

q) *Manud. ad Art. Smalcald. P. II. Obj. III. de Colleg. Canon. & Monast. §. 7. p. 30. r) in Act. IV.*

mentumq; totius Reip. nuncupatur. Lites vero ex falsa persuasione circa Meum & Tuum, adeoq; per accidens oriuntur. s) Hinc non concinne judicat PUFENDORFIUS, t) infinitum bellorum segetem inde surgere, quod avaritia hominum terminos circa Meum & Tuum pacto aut legibus prescriptos percurrere audeat. Id quod sua jam ætate cognovit ARISTOTELES u) Litium inveniens, aliarumq; perversarum rerum nihil sit ex eo, quod non sit communitas, sed ex improbitate: siquidem & communia possidentes & communicantes multo magis dissidere cernimus, quam separatim tenentes. Communionem autem Bonorum, fœcundam vitiorum omnium scaturiginem esse, §. præced. demonstratum dedimus. V. Deniq; iterum in suam charybdim prolabitur, autumans, Communionem Bonorum pacem animi securitatem, lætitiã, & jubilam perpetuum parere. Resp. Negando simpliciter minorem; Cum hæc soli Fidei in meritum CHRISTI recumbenti sint adscribenda.

§. XXVII.

II. Anabaptistarum

Jam Anabaptistarum potiora argumenta ad veritatis normam nobis erunt exigenda. Excusserunt equidem pleraque Philipp. MELANCTON, Jo. WIGANDUS, Conr. SCHLUSSELBURGIUS, Luc. OSIANDER, & qui Zwickerum, acerrimum Moravorum fratrum defensorem, acriter deperum dedit, Mart. RUIARIUS. Superfunt nihilominus nonnulla, quæ fusiorem responsionem merentur. Omnium maximè autem ad Communionem Bonorum Hierosolymis usurpatam cen ad Asslum quoddam decurrunt. Verum quam infirmum præsidium ibi inveniant, ex hæcenus disputatis videre est. Etenim à Communione Bonorum arbitraria, particulari, temporaria, ad Communionem necessariam, in omne ævum duratu-

Obj. I.

s) Vid. Sam. Frid. WOLFFHARDTI Diss. de Persuasione Juris circa meum & tuum Witeb. 1682. habit. t) de J. N. & G. L. IV. c. IV, §. 7. u) L. II. Polit. c. IV.

raturam argumentari quis sustineat? uti superius §. 9. diximus. Itaq; hoc Palladio illis erepto, victas porrigant manus necesse est. Qvanquam propria experientia satis superq; sint edocti, hujusmodi vivendi rationem in Rep. subsistere non posse. Urgent quidem: *Christianam Charitatem firmamentum suppeditare, quo innixa bonorum Communio etatem ferat.* Verum ut mittamus, in peramplo coetu paucos inveniri, qui charitatem à Christo nobis imperatam observent: x) tantum hoc obvertamus, quod Christianæ charitati locus adeo insignis esse non possit, ubi omnia in commune contuleris. y) Nam eximia illa virtus infert beneficentiam: Ubi vero omnibus omnium rerum promiscuus usus est, ac abdicatio proprietatis, quis beneficentiæ locus relinquitur? ad quam tamen exercendam serio admonemur. z) Instant Adversarii: *nihil proprii possidendum esse, quia omnibus renunciare debemus: qui autem non renunciat omnibus, non potest esse discipulus Christi.* LUC. XIV. 33. conf. MATTH. XIX. 29. Resp. Negando consequentiam: Abnegatio enim illa seu renunciatio omnium facultatum non infert negationem proprietatis, sed ut nihil in hoc mundo ita proprium reputemus, ut cor ei adjiciamus, vel in usum proximi commune facere nolimus, si honor divinus, vel necessitas proximi vel propria salus nostra exigat Confer omnino hac de re differentes *Heel. Godofr. MASILLUM, a) & Jo. Frider. CORVINUM, b)* Sed excipiunt: *Apostolos omnibus renunciasse, qui tamen nobis ad imitationem sunt propositi, R. c)* Quod ad renunciationem Apostolicam attinet, observandum 1) Exempla nunquam præceptis vel legibus opponi debere. Lex de dominio privato fundata est in septimo præcepto; furtum enim in Communione Bonorum locum non

Obj. II.

Obj. III.

ac Exceptio diluitur

F

ha-

- x) Vid. Ziegler, de Diaconis & Diaconissis C. XIII. §. 7. y) Vid. 23. 2) Gal. IV. 9. 10. a) In der selbst Verläugnung L. I. C. V. b) in der Abbildung der wahren und falschen Pietät L. I. c. 73. p. 315.

habet. 2) Relinquebant Apostoli retia & naves, non Communioni, sed Parentibus & agnatis, idque 3) non quod ulterior possessio prohibita esset, sed quod conformis non esset discipularui & officio illi, quo Christum modo huc, modo illic ambulanti comitari debebant. Unde 4) Petrus cum aliis post mortem Christi ad retia sua rediisse leguntur. c) 5) Erat igitur non abdicatio totalis ratione juris, sed cessatio usus temporarii. β) De imitatione Apostolorum notandum, illam ad prototypon imitationis nobis præceptam, quod est ipse Christus, nobis exigendam esse. Atq; illa imitatio non est unius generis. 1) Quædam quibusdam tantum personis incumberebat & incumbit, consistens in eo, ut à Christo per verbum ejus erudiamur ad adimplendas partes officii Ecclesiastici nobis commissi, idque expediamus; d) Hæc peculiarem requirit vocationem. 2) Quædam omnibus quidem promiscuè, sed non omni tempore, verum tantum persecutione exortâ nobis incumbit, consistens in eo, ut propter veritatem Evangelii omnia nostra deseramus. e) 3) Quæ omnibus omni tempore incumbit, consistens in eo, ut Christi monitis obtemperemus in doctrinâ & vita. f) *Nec est, quod urgeant Consilium Christi Juveni diviti datum. MATTH. XIX. 22.* Nam consilium illud erat exploratorium datum alicui in singulari, imo nec consilium svasorium cuiquam alii datum; uti loquitur *Beat. noster SCHELGIIGILLUS* g) Ad ultimum oggerunt: *Amicorum bona esse communia: Multo magis Christianorum.* Resp. πολυεύχνητον illud sano sensu accipiendum: Etenim Philosophorum facile Princeps *SENECA*, h) sua jam ætate, principiis licet *Stoicorum* imbutus intellexit, non communionem, sed

Obj. IV.

Obj. V.

c) *Job. XXI. 3.* d) *Matth. IV. 19. 21.* e) *ib. XIX. 29.* f) *ib. XVI. 24.* g) *Manud. ad A. C. P. 1. Art. XVI, de rebus civil. Th. VI. Obs. 6. p. 345.* h) *de Beneficiis L. VII. c. 3.*

sed communicationem duntaxat, si necessitas urgeat, inferre. Cui subscribit *Justus LIPSIIUS*, i) Neque ab hac sententiâ recedit festivissimus *Ἐπιγραμμάτων* Artifex, *MARTIALIS* ita jocosò calamo in *Candidum* quænvqam minime candidum, ludens: k)

*Candide, κοινὰ Φίλων sunt hac tua, Candide, κοίνα,
Quæ Tu magniloquus nocte dieq̃ sonas*

Sic verò tandem concludit:

*Ex opibus tantis veteri fidoq̃ sodali
das nihil & dicis, Candide, κοίνα Φίλων.*

§. XXVIII.

Pietistarum, uti omnium fere hæreticorum patrociniū & *Pietista-*
suscipit God. ARNOLDIUS, ac argumentum 1) *pro Com-*
munione Bonorum introducenda ex perfectione Regeneratorum de- Obj. I
promis. Verum quam lubrico, ac ruinoso fundamento in-
nitatur, vel ex eo elucescit, quod nemo fidelium in hac Ec-
clesia militante eam perfectionem consequatur, ut ex lege ju-
dicandus sine peccato actuali vivere possit. Quæ thesis ite-
rum est *Venerandi PRÆCEPTORIS nostri modo nominati.* l)
Quid? quod, etiamsi in hoc vita summum perfectionis gradum
contingere possemus, neque tamen ex eo flueret, vitam in
Communione Bonorum transigendam esse. Ex quo corrui-
etiam 2) *ejus argumentum, quod scil. confusio non sit metuenda.* Obj. II:
Nam posita imperfectione nostra, etiam confusio in Com-
munione Bonorum facillime surripit, uti exemplum primo-
rum Christianorum satis declarat. Cæterum de perfectione
illa imaginaria vid. *Magnif. & Celeberr. Jo. FECHTIUM.* m)

F 2

Ya-

i) in *Manuduct. ad Stoic. Philosoph. Dissert. XI. L. III. p. 168.*
k) *L. II. Ep. 35. l) loc. cit. Art. XII. de Pœnit. Th. I. 272.*
m) *dissert. de Imperfecta vitæ perfectione Rostoch. 1701.*

Valentia ALBERTI, n) Jo. DEUTSCHMANNUM, o) &
 Celeberr. Jo. Nicol. QVISTORPIUM. p)

§. XXIX.

Concluditur
 Dissertatio.

Sic bono cum DEO Communionis Bonorum inter Christianos quondam tempore Apostolorum Hierosolymis duntaxat vigentis indolem evisceravimus, ac notatò Adversariorum abusu, ea qua fieri potuit, argumentorum idoneitate demonstravimus: Communionem hujusmodi in Remp. Christianam non posse introduci. De cætero, si quid humani passus fuero, (uti humanum a me alienum non puto) L. B. *communis* mortalium sortis, quâ ab erroribus non sumus immunes, memorem futurum mihi polliceor. DEO T. O. M. pro præstito nobis auxilio humillimas gratias decernimus, eum obnixè precati, ut nos tandem in COMMUNIONEM SANCTORUM in cælis nunquam desituram clementissime provehere ne dedignetur.
 TANTUM!

Μοῦω̄ Θεῶ̄ δόξα.

- n) *disp. ad quem in renovatione gradum homo renatus in hac vita pervenire possit* Lips. 1696. o) *de Samaritanismo Pontificio-Sociniano - Fanatico in Art. de B. O. eorumq; perfectione* Witteb. 1691. p) *de absoluta Renatorum ἀναπαύσις*. Rostoch. 1695.



RE:

RESPONDENTI AUTORI PRÆSTANTISSIMO
DOMESTICO SVO PERCHARO

S. P. D.

GOTTL. SCHELGVIGIUS, P.P.

Reddo Tibi Schediasma tuum de Communione Bonorum commu-
ni Bonorum applausu dignum; Proprio Id à Te Marte elabora-
tum est, raro apud Cives Athenæi nostri exemplo. Quod ad me
attinet, ingenue testor, me non nisi svasu, consilio, & librorum, negotio
tuo inservientium, communicatione, laborem tuum promovisse; Cæ-
tera omnia tua sunt, & jure ad te pertinent. Plenam sentiendi liberta-
tem animo ingenuo, ut solum mihi est, libenter permittens, nihil in
Dissertatione tua mutare volui; immo ne ea quidem in quibus à te dis-
sentio. Sed sunt illa tantum historica; spectantq; partim ad *Platonem*,
partim ad *Therapeutas*. Ad illum quod attinet, constans mihi perstat
sententia, tanti ingenii, tamq; profundæ sapientiæ Philosophum, nun-
quam serio Bonorum, ne de Uxoribus dicam, unionem statuisse:
imo sic sentio: in præscribenda Reipublicæ forma eundem non inten-
disse quod esse posset, aut esse vellet: sed quod pravis humani generis
cupiditatibus videbat conveniens, ut irrideret hominum stultitiam. De
Therapeutis res inter Historicos adhuc dum dubia est, & permanebit du-
bia, quamdiu dubiis pugnabimus argumentis. Illorum verò in re du-
bia mihi arridet sententia, qui nullam se invenire posse ajunt rationem,
quæ evinceret, Therapeutas non fuisse Christianos. Ingens certe di-
scrimen est inter Essenos Judæos & Therapeutas; magna inter hos &
Christianos convenientia; Eusebii, Hieronymi & Epiphani, quorum
partes sequor, non contemnenda autoritas; lectu dignissima quæ de
hoc argumento reliquere *Guilielmus BEVEREGIIUS* & *Thom. BRUNO*
doctissimi Angli. At verò mitto hæc; animorum enim inter nos con-
cordiam non turbabunt. Quapropter de specimine studiorum docto
tibi potius gratulor: ex animi penetralibus congratulor. Votum addo:
ut divina, te ad Academias abeuntem, quod consilii nunquam
niterebit, protegat clementia; divina tuis studiis adsistat gratia; ac di-
gnum te aliquando Sanctioris cœtus membrum efficiat divina benigni-
tas. Scrib. d. XVIII. Aug. A. O. R. clō 1000 XV.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

OPPONENS.

INviolabiles violaret, *Amicorum Amicissime*, amicitiae leges; nisi *Specimini Tuo* suam quoq; adjiceret gratulationem, & ne *Indulgentissimum Numen*, tuis etiam impofterum Conatibus favere, *Teq; Clementissimo Clementia sinu* fovere dedignaretur, voveret

TUUS

Dab. è musco festinanti calamo
A. O. R. M DCC XV. d. IX.
Augusti.

amore, more, ore, re
amicus

SALOMON Grubert /
Ged. Boruff.

DEin tapffrer Fleiß' mein Freund/ dein ämbsiges Studi-
Dein aufgeweckter Geist/ ist zwar genug bekandt: (ten/
Doch wilt du noch einmahl hier die Catheder zieren/
Da soll dein Fluger Witz recht werden angewandt.
So wird sich denn geneigt die *Pallas* lassen finden /
Und einen Lorbeer-Zweig um deine Schläffe winden.

Hiemit wolte dem Herrn **AUTORI** gehorsamst
gratuliren/ und alles vergnügte Wohlergehn
von Herzen anwünschen

Daniel Friedrich Hoheisell / Ged.
Opp.

PRæclarum Tu laudis opus, cedrosq; perennes
Extruis ingenii docta tropæa Tui.
Macte igitur virtute tua: Sic itur ad astra,
Sic æterna Tibi Fama brabæa dabit.

Præstantissimo DNO. RESPONDENTI ad
exteros propediem abituro de specimine nunc
altero gratulatur, prosperrimos simul successus
ex animo apprecatus

JOHANN. DANIEL Kieckebusch / Ged.
Opponens.

os (o) so

94 A 7345

ULB Halle 3
000 782 815




Handwritten mark


94 A 7345

V. 17

HL. 95.







COMMUNIONEM // BONORUM,

INPRIMIS
ÆTATE APOSTOLICA
HIEROSOLYMIS USURPATAM
ad Act. II. 44. 45. & IV. 32.
FAVENTE COMMUNI RERUM ARBITRO,
MODERANTE
VIRO

NOBILISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO
DOMINO

GOTTLIEB SCHELGVIGIO,

Philosoph. Prof. Publ. Ordin.

& Reip. Patriæ Bibliothecario,
DN. FAUTORE, PRÆCEPTORE ac HOSPITE
haud intermorituro pietatis adfectu
colendo, suspiciendo,

IN ATHENÆI GEDANENSIS
AUDITORIO MAXIMO

d. XXII. Augusti, A. O. R. M DCC XV. Hora IX.

Communi placidoq; disquirentium Examine
submitit

AUTOR

NICOLAUS TORNER, Gedan.

Stipend. Ölhaf. Alumnus.

Succincta simul Oratione valedicturus. *om 10*

GEDANI, Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.